PETRI PAAW
Amsteldamensis,
In Academia Lugduno-Batava Anatomici & Botanici Professoris,

Primitiæ Anatomicæ.

De Humani Corporis

OSSIBVS







AMSTELREODAMI,
Apud HENRICUM LAURENTII. Bibliopolam.
M. DC. XXXIII.

Nobilissimis atque Amplissimis viris

HADRIANO à MATENES, Domino in Matenes & Opmeer.

CORNELIO vander MYLE, Domino in Mylen, Equiti.

Equestris Ordinis Viris,

ACADEMIÆ CURATORIBUS.

ET

Amplissimis Prudentissimis viris

LAURENTIO GAALIO.

JOANNI YSNOUTIO vander NESSE.

PETRO DEYMANNO.

HENRICO EGBERTI vander HALLE:

Reipublicæ Leidensis Consulibus.

Amplissimo item ac Consultissimo viro

D. NICOLAO ZEYSTIO

Ejusdem Reipublicæ Syndico dignissimo, & magnificis D. D. Curatoribus à Secretis.

Dominis suis plurimum colendis.

Quintus nunc & vigesimus annus volvitur, quum ad docendi munus vocatus, pedem in vestram intuli Academiam. Quid eo annorum decursu à me præstitum sit, dicet Schola vestra, testabuntur discipuli non pauci, qui nostrâ aliquâ fide atque industriâ optatum studiorum finem consecuti, per universam Belgiam quacunque ea se pandit, perque nostram imprimis patriam, ut alias Respublicas, imo ipsam nostram Academiam sileam, utiliter medicinam exercent. Atque hic quidem ad Auditores meos hactenus vivæ vocis fructus fuit. Nunc verò scriptionis quoque facturus periculum, primitias istas (ut in Sacris fieri amat) apud vos N. N. atque A. A. Viri cum nominis vestri veneratione depono. Rogo, ut quâ frontis serenitate nostra omnia soletis, eadem istud quoque recipiatis, & adversus genuinos malevolorum, si qui forte incurrent, ac detrectatorum morsus vestro patrocinio defendatis. Provincia mihi à vobis mandata est gemina, Anatomica & Botanica. Hæc, ut æstivis; illa ut hibernis mensibus inventus medicinæ operata, pro anni tempore exerceretur in humani corporis, & plantarum consideratione, sine quâ necesse est, omnem medicinam jejunam esse atque exsanguem. Vtrumque feci hactenus strenuè ac pro virili. Hortus mihi concessus crevit insigni stirpium varietate, quarum pleræque raræ & exoticæ. Eas ordine examinavi per æstatem, earumque naturam, vires, adfectionesque auditoribus meis ostendi, bis decurso æstivis mensibus hoc stadio. Etiam quum occasio id

tulit (tulit autem quotannis ter, quater ve) modò in pratis, modò in collibus, modò in silvis & nemoribus, modò in locis palustribus non in gloriam operam medicinæ studiosis præstiti. Eidem fini Dioscoridem quoque (gravem, Deus bone & vetustum Scriptorem) explicavi quotidie: ut quæ in horto vidissent spectatores, ea pro lectione audirent discerentque auditores, atque ita gemino sensu viam sibi ad nostram facerent disciplinam. Postquam verò æstatem hyems excepit, contuli me à plantis ad considerationem humani corporis, quæ cura ita mihi curæ fuit, neminem uti reperiri putem, cui non abundè à nobis hac parte satisfactum sit. neque diffiteor in hoc me genere laborasse impensius, sive quod religione quadā tangerer divini istius templi: sive quod homo, cujus causâ facta sunt cætera omnia, plus mihi operæ ad sui consideratione͂ requirere videretur: sive quod iudicarem ipsum etiam Deum majora certioraque in corporis humani efformatione sapientiæ suæ, potentiæ, & bonitatis voluisse quàm in alijs apparere documenta. Nulla igitur nobis hyems elapsa est, quâ non subiecta humana dissecuerim bina, terna, imò subinde quaterna: ut de varijs brutorum examinibus & sectionibus vivis, deque catellis fœtis nihil dicam. Atque ut præter autopsiam sectionum quæ diuturna esse non potest, haberet iuventus unde in Anatomicis magis firmaretur, tractavi pro lectione identidem varias eius doctrinæ partes, quarum seriem postea enumerabo. Sed & per intervalla subinde, sive quod ipsi id à me exigerent disciplinæ istius studiosi, sive trahente me

istuc

iſtuc ipſo doctrinæ genio, ſive invitante publici boni ſtudio, aggreſſus ſum quædam ſuperioribus cõgenera. Explicui Hippocratis de vulneribus Capitis librum, planè noſtri fori. Galenum quoque de Oſſibus. Celſum de Vulneribus, Fracturis, Luxationibus, Carie, ſimileſque tractatus, quorum uſus omnis atque intelligentia pendet ex doctrinâ Anatomicâ. Viderit quo iure alius ſibi iſta vindicet. Itaque ab eo inde tempore quo hoc docendi munus agreſſus ſum, id ego mihi negotij creditum exiſtimavi, ut non theoricos Reip: darem, ſed practicos, hoc eſt, qui non ieiunam corporis humani partium enumerationem & exſectionem cum Herophilo poſſent inſtituere, ſed qui partium ſingularum totiuſq; corporis adfectiones & morbos probè intelligerent, & quum opus eſſet, curationem adhiberent. Ac meditationes quidem meas, obſervationes, commentationeſque toto illo tempore memoriæ causâ chartis commiſſas ſtatueram ita adſervare, ut mecum illæ natæ mecum quoq; interituræ eſſent, tam quidẽ firmo propoſito, ut ne rogatus quidẽ hactenus potuerim à ſententâ dimoveri. Ac fuit (cur enim celẽ id quod res eſt?) inter præcipuas cauſas etiam iſta, quod minus ſtylo quàm viva ac præſenti oratione ſatisfacerem. non putavi igitur laudem quam dicendo paraſſem, ſcriptionis culpâ eſſe mutandam. Et tamen vergente nunc atque inclinante ætate videtis me prodijſſe in publicum. Quorſum? nomen ut mihi comparem? nihil minus. Faciant hoc illi quibus in ore ſemper: Omnes ducimur gloriâ: Laudata virtus creſcit, & immenſum gloria pondus habet.

 Mihi

Mihi illud insedit animo, Virtutis non ante comitem esse gloriam quàm invidiam: quumque ipsa sibi pretium sit amplissimum, famam pro umbra eius non pro ipsa habendam esse. Ac mihi quidem apud probos sat probi nominis adeo quidē, ut (ausim, dicere) vel eo solo non pauci quotannis ad hanc Academiam fuerint pertracti; licet contrà adnitentibus & quidē summa ope extremisq; viribus ijs, qui per ruinas nostri nominis speraverant gradum sibi parare posse ad tantopere exoptatam nominis celebritatem. miseri, quasi ego cujusquam obfuerim luminibus, ac non potius promoverim juverimque eos ipsos qui pro gratia hoc nobis nunc rependunt, ut se beatos fore opinentur, si aliquam nomini meo maculam inusserint. Sed non sinet hoc Deus, cui studia nostra cordi esse expertus jampridem sum: non vos N. N. A. A. que viri, quos Academiæ Ephoros patriæ nostræ Patres jusserunt, voluerunt. Hac ego mente nunc vobis Osteologiam istam inscribo, ut ex illa videatis, me ab eo inde tempore quo mihi hæc docendi provincia commissa fuit, in id perpetuo incubuisse, ut cum Academiæ splendore aliquis ad Rempubl. præsentem ac futuram meorum laborum fructus redundaret. Accessit & studium calumniatoribus atque malevolis os obturandi. Sed & illa non fuit causa è minimis, quod vellem deinceps nostra ista genuina legi. Cognovi quippe discipulorum meorum aliquos moliri editionam quorundam nostrorum, etiam eorum quæ non dictavi, sed quæ ab ipsis furtivo calomo excepta fuerunt. Quod ipsum præterquam exempli quod sit, quis non videt eò spectare,

ctare, ut multa etiam non ex mea mente proditura sint ab istiusmodi excepta notariis. Alius daret male à se intellecta, alius ne intellecta quidem. Esset etiam qui ad magistrum delatus improbum, bonos sensus depravaret. Hisce ergo ne plagij posthac daretur occasio, visum hic mihi ponere titulos eorum quæ domi adhuc premo, quæque aliquando publici juris facturus sum, si Vobis N. N. A. A. que viri causas scriptionis nostræ probari intellexero. Sunt autem ista.

1 Anatomicæ methodi tomi x.
2 De Sensuum organis, Tractatus peculiaris.
3 De Partibus Principibus.
4 De Spinali Medullâ.
5 Observationum medicarum. Anatomicarum, Botanicarum Tomus.
6 Commentaria in lib. I. &. II. Dioscoridis.
7 De Aromatis.
8 De Ostracodermis.
9 Plantarum quas unquam habuit hortus Academicus, quasque etiam hodie ostendit, descriptio.
10 In artem Medicinalem Galeni, Commentaria.
11 De Febribus.
12 In duos priores Aphorismorum libros, Commentaria.

13 De Crisibus & Morborum Temporibus.
14 Lectiones ad Hipp. de Capitis Vulneribus.
15 De Peste.
16 De Vulneribus Capitis, Thoracis tractatus.
17 De Hominis Procreatione.
18 Universa Medicina, per interrogata & responsa.
19 Varij Tractatus Chirurgici: De vulneribus, Ulceribus, Fracturis, Dislocationibus, Contusionibus, Figuræ ossium vitijs, Carie, Ambustis, Fistulis, Cutaneis affectibus &c.
20 Gerardi Bontij, dictata de Capitis morbis..
21 Johannis Huernij Institutiones Medicinæ auctiores, prout ab Authore propositæ

Hæc lucem aliquando videbunt, verum quibus dixi conditionibus. illæ si deficiant, mecum nata mecum moriantur. Valete nobiles, Amplissimi, Prudentissimi viri & quâ curâ Academiam hactenus amplexi estis, porrò fovete. Ita Deus Opt. Max. vos Scholæ nostræ nec non Reipublicæ diu servet incolumes, id veris votis optat.

V.V. Observantissimus

P. PAAW.

C L. *Viro*

D. PETRO PAVIO.

TAndem igitur tristem certum est tibi frangere legem
Et ferri scriptis docta per ora virum?
Rectè equidem, patriæque bono, nostræque juventæ,
Et quotquot post nos hæc tua scripta legent.
Est aliquid, PAVI, pulcra & præclara reperta
Ad plures vocis spargere posse sono.
Sed quantò est majus in vulgus didere chartas,
Scribereque absentes quæ memorare queant?
Ah quoties doctæ tenuisti flumine linguæ
Attonitos medijs nos quoque frigoribus;
Dum plenis monstras cuneïs plenoque theatro
Dædala in humano corpore facta Deï?
Compagem rerum variam, sive ossibus ossa,
Et venas venis, viscera visceribus,
Artubus atque artus nexos, sive ordine pandis
Quodnam sit proprium partibus officium.
Nunc eadem nobis libro pictisque tabellis
Edere dum PAVI postgenitisque paras,
Debemus cuncti meritò tibi: te duce namque
Noscere jam nostras cœpimus exuvias.

P. BERTIUS.

**
*

ELE-

ELEGIDION

In Clarissimi Medici

PETRI PAVII,

Tertiùm Rectoris Academiæ Magnifici,

OSSILEGIVM,

sive Librum

DE OSSIBVS HUMANIS.

*Q*Vam fragileis spereis, & inania gaudia mundi
Exiguus toto pectore mundus amet:
Quam sit vita brevis, quam totus homuncio bulla,
In Batavis docto Pauius *ore docet.*
Leida tuum decus, & cuneati fama theatri,
Quem Medicina triplex, Suadaque rara beat.
Ille Machaonicâ primus memorandus in arte,
Credita cui magnæ sunt modò sceptra scholæ.
Et mihi persuasit. sed vix persuadet obesis
Naribus, & quærunt pectora cæca fidem.
Oßa legis Lector, vitæ argumenta caducæ.
Fallor? an ex ipsis ossa reducta rogis.
Oßa legis, quæ jampridem Libitina sacravit.
Oßa sed in vitam nunc reditura novam.
Ingenio Paui, *quo non felicius alter*
Ornaret sceletum mille per oßa suum.
Oßa fidem faciunt. nec enim vespillo rogandus,
Sandapilæve frequens quod modò cernis onus.

Tu,

Tu, quando ista legis, vitæ mortisque memento
Ingenium vitæ, cætera mortis erunt.

In Zoïlum, EPIGRAMMA.

Qui ducis vultus, & non legis ossa libenter, Zoïle,
debueras tu prior ipse legi.

P. S.

A D O R E A
Osteologiæ
Viri incomparabilis
D. D. P. PAWII
τῦ Ἰατρῦ ἀμύμονος.

CUi Batavorum animam debet cultissimus Hortus,
(Alcinoi, Hesperidumve, ipsius vel Adonidis (hortus)
Cui rosa, cui violæ, cui purpurei narcissi,
Frondentes hederæque, immortalesque amaranthi,
Discus Phœbo tuus, rododaphne, & amaracus, iris
Mille trahens varios Sole adsplendente colores,
Milleque tulîparum facies polydædala, amomum,
Rutaque, serpillumque, & suave rubens hyacinthus,
Et dominum opperiens aurata hunc innuba Daphne:
Cui cedrus, umbrantes platani, atque odiosa colubris
Fraxinus, amnicolæ salices, frondosaque fagus,
Te & Iove digna arbor, nemorum sylva integra, quer-
Æternum infelix, & deplorata cypressus, (cus,

Arbutus, inque vicem obluctantes præmia palmæ;
Cui, verbo dictum, debent flos, arbor, & omnis
Herba, virumque cano, cui se sublime Theatrum
(Mystica quo Batavis primùm sapientia Athenis
Intellecta senis Spartani, NOSCERE SEIPSUM)
Lugdunense ANASE TOMICUM, sanctum Amphithea-
Vis facunda unum multis è millibus unum (trum
In specimen multis optandum, imitabile nulli,
Vulgi à carceribus arcens cœli arce locavit.

a Tenui, exiguo, ita lux maligne pro crepera, dubia, pauca, Maroni, aliis

Facundum eloquium eloquio fraudare *a* maligno
Et laudare patrem florum, herbarumque potentem
Socraticum hunc genium, differt suadela voluntas,
Haudque opis hoc nostræ est. in apertas luminis oras
E pluteis multum cæsis, doctisque latebris
Optato adseritur compages holostia, dico
Aurea, scriptorum indictura silentia vulgo.
(Namque velut croceo quum jam patefecit Olympo
purpureas Aurora fores, & pulcra rosarum
Atria, disparent stellæ, quarum agmina cogens
Lucifer alternante Hyperiona lampade donat,

b fortis, formosus *Accio Comico*,

Sic quum hoc forte *b* jubar, flammis inlustre coruscis,
Irradians doctis ad miraculum ossibus ævum,
Præterlapso ævo non paulum inlustris oborta est.)
Optatò adseritur victura in secula mille
Ossea progenies, cedri subdamine spisso
Æterna, & defunctorum immortalia vitâ
Corporis humani ad viuum cælata, diserta
Ossa! vnde ò PAVVI sibi te non sperat ademptũ (tem,
Posthuma gens, quum te ponè hæc monumenta vigen-
Perque tuum elequij regnum superare videbit,
Qui licet & doctos, quos immoderatus adurit
Scribendi furor, & laudum confusa cupido,
Virtute ingenuâ exsuperas longo interuallo.

Quocirca excelſæ & cæleſtis pignora mentis,
Temperiem Medicis propriam *c* pridem edito in auras
Terrenas ſuperi dederunt, Dictator ab alto
Scriptorum proceres, commentandique peritos,
Te ſublime caput *d* vulgi ſuper ora relatum,
Sub pedibus poſitos premeres ſuper ardua vectus.
Et tu docte Liber, non infitianda parenti
Progenies, ſpecimen, divinæ oculiſtra *e* tabernæ,
Præſens ſummus honor, venturorumque ſaliva
Commota, alme Liber, Batavas in luminis oras
Tandem elate Liber, non unum preſſus in annum,
Corde *f* Liber cordi es, proles, non annicula infans,
Firma, nec inſulſis lota & luſtralibus undis,
Ipſa ſuis pollens opibuſque & viribus, infans
Oſſea, & ingenuo nitens tibicine, nullum
Non referens punctum humanorum *g* nobilis, euge!
Euge! hujus genitor ſobolis reverende, coronam
Oſſibus humanis ipſamque coronida ponens.
Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus, oſſa
Poſthuma honoratis ducens elata quadrigis,
Lauriferum Meriti qui ponat nomen Olympo!

c ἰδιοσυγκρασίαν Medicis adpellatam.
d Alluſum ad paroimiam Hebræam, caput rollere, de qua politiſſimæ eruditionis I. *Druſius, Marlorat. alij.*
e De hac voce electiſſimus litteratum parens I. Lipſ. Mecænas olim meus, Elect. lib.
f Cordus Vartoni tardiuſculè natus.
g Eruditorum ut Græcis ὁ χαρίεις, de qua audiendus eruditiſſimus cauſaubonus ὁ μακαρίτης ad Athenæum ſuum.

L. M. Q.

ſcripſi

H. DELMANHORSTIUS
M. D.

IN

IN

Osteologiam

Clarissimi Doctissimique Viri

D. D. PETRI PAAVVII,

Anatomes & Botanices in Academia Lugduno-Batava Professoris, & ejusdem Academiæ tertium Rectoris.

SIngula, si Lector, quam servent ossa figuram,
Scire voles? chartas has lege, certus eris.
Namque ea tam graphicè describit Paawius, *ut te*
Ipsa tuis oculis ossa videre putes.
Sic &, quæ fuerit naturæ causa requiris
Cur hoc, cur illo fecerit ossa modo?
En tibi rimatur causas subtiliter, & te
Non modo mirari, sed quoque scire docet.
Sin usus? dubites utrum descripserit illos,
Natura anne illos efficiat melius.
Ancipiti inter se certamine prælia miscent;
Palmàque nec cuinam sit tribuenda, scias.
Sin monita ex ipsâ naturâ rite petita
Vt cures tuto? quæ mediteris habes.
Crede; tuis studijs totum inservire videbis;
Hoc studuit, finis non fuit alter eï.
Non delectatur titulis neque tangitur; illi
Quærendi nullus nominis ardor inest.
Quare has primitias lector gratâ accipe mente,
Et multum ex illis utilitatis habe.
At si forte voles genuino has rodere dente,
Pœna tibi fies suppliciumque tuum;

Non

Non lædes illum, rumpantur ut ilia: nam nil
Quo lædas, quem non gloria tangit, habes.

HENRICUS FLORENTIUS
Medicinæ Doctor

I N
Osteologiam
Clarissimi Doctissimique Viri
D. D. PETRI PAAVVII,
Anatomes & Botanices in Academia Lugduno-Batava Professoris, & ejusdem Academiæ tertium Rectoris.

MVlti ut procaci servientes gloriæ,
Negata cæcis cernerent mortalibus,
Queis nosce vixdum propria indulsit Deus,
Sese superbo spiritu prætervolant
Mentem profanis implicantes fabulis,
Sui incapaces, nesciunt quid Ossium
Quidve ipsa forma molis humanæ queat
Sedes minoris & latibulum Dei.
Externa tantum ponderant, quæ non vident
Ignota nostris suspicantur sensibus.
Illos refutat PAAWIUS, & sæculo
Donat latentes corporis nostri vias
Scripto perenni, quod senecta temporum
Ausa est beatis invidere sæculis.
Majora restant, ipse præludens sibi


Nomen

Nomen libellis præparat ſequentibus.
Homo miſelle, faſtuoſe, perdite,
Tui adulatur turpis, & opprobrium,
Diſcas te ipſnm cernere ut cernas Deum.

ALIUD EJUSDEM.

Proferre Coum Græcia exultet Senem,
Bruxella magno gaudeat Veſalio,
Sors cuiqne terræ latiori ſit ſua:
Tulit Batava PAAVVIUM, *hoc uno poteſt*
Prſci magiſtrs provocare temporis,
Et tot Latinos vincere ac Graios ſimul.

MENELAUS VVINSHEMIUS
Med. Doctor.





PARS SCELETI PRIMA.

Cap. I.

Qur ab oſsibus fiat initium.



UPLICEM tradunt rerum tractandarum methodum veteres, σύνθεσιν ϗ ἀνάλυσιν. Hæc materiam tractandam in minima reſolvit; illa minima conjungendo ita efficit totum ſeu diſſimilare. Nobis poſterior ratio placuit, partium inquam ſimilarium medicis dictarum tractatio; quod natura, quod ordine prima. Inter hæc primò ſe offerunt oſſa, non quod genere ab aliis differant ſimilaribus, verum quod præ reliquis primo omnium, delineentur, adumbrentur, aut ſaltem formata ſeſe oſtendant. In hac ſententia eſt cum tota antiquitate Galenus, huic adſtipulatur ſenſus,

fidiſſimus in re potiſſimum Anatomica, judex. Nimirum quum baſi ac fundamento corpori futura ſint oſſa provida natura ab earum formatione initium ſumit. artifices navem ædificaturos æmulatur, inquit non ineleganter Galenus, carinæ loco ponens ſpinæ vertebras, quibus tum coſtas, brachia cruraque velut aſſeres, tranſtra, ac reliqua ligna aptat. Huc reſpexiſſe Poëta videri poteſt, dum inquit:

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor.

Dico inter primas partes ſimilares effingi à natura oſſa. Etenim univerſum (arduum illud ac ſublime) procreationis negotium in quatuor velut partes ſeu actus dividit Tractatus noſter de Hominis Procreatione: conceptum, formationem, augmentum, & partum. Nec primum nec poſtremos jam tango; de ſecundo id dicam, ſimul ac injecta diverſi ſexus ſemina acceperit uterus, illa miſcuerit, ac ex heterogeneis unam fecerit maſſam ſpermaticam parilem ac homogeneam, prima naturæ cura, ſuſcitare ac in actum deducere latentem illam in ſemine prolificam ac fœcundam vim. Illa ſeſe ſponte non exſeret, ſed opus externo aliquo excitante ac evocante. Hanc πλαστικὴν δύναμιν vocant veteres, quam conſiſtere dixerim in uteri innata proprietate, temperamento ſuo, calore ac ſpiritibus ſibi familiaribus adjuta. Huic innixa formatrix anima,

per

per acceptum mistumque se fundit semen, in suas id distribuens partes, ex hac productura ossa, ex illa venas, arterias, nervos. adumbrationem hanc vocare liceat, ac si quis velit, delineationem, qua rudimentum ponitur vocatis partibus spermaticis ac exsanguibus, natura ex portionibus massæ spermaticæ ignobilioribus primum ac ante omnia formante membranas, quas securitatis causa semini circumponit. Tunicis hisce obvallata interiore nobilioreque seminis portione, audacius jam hanc rem adgreditur agens illa causa, & per contentam internam illam spermaticam discurrens partem, omnium ac singularum spermaticarum partium stamina rudioribus velut lineis adumbrat, ut materiam habeat futurarum partium solidarum. Adumbrat dico ac delineat simul omnes, licet non absolvat, aut ut clarius cum Hippocrate loquamur, absolutæ non statim apparent. Is videatur *l.* 1. *de dieta & l. de loc. in Hom.* Delineantur partes simul o-» mnes & augentur, nec prius aliæ aliis nec posteri-» us, sed majores apparent prius. Discrimen inter» delineationem ac apparentiam seu apparitionem exempli loco dabunt dentes, dabit bregma. notante id eleganter *Plinio Proæmio lib. 7. natur. Histor. quando Homini vox? quando firmum cibus os? quamdiu palpitans vertex? summæ inter cuncta animalia imbecillitatis inditium?* Verum hanc quæstionem alias

ex instituto persequemur, nunc ad ostiologiam progrediamur.

Cap. II.

Utilitas tractatus de Ossibus.

Plura sunt quæ stimulo esse debeant medico in ossium Historia se uti exerceat; illud primarium, quòd ad ossium figuram se referat reliquarum corporis partium, saltem nobiliorum figura. qualis autem partium figura talis & eis actio; at verò circa partium actionem versatur præcipua Medici contemplatio. Unicus namque ei scopus sanitatem, conservare, si fieri possit, morbosque propellere: neutrum sine cognitione actionis quam partes peragunt perfici potest. Definiturus namque sanitatem, per dispositionem naturalem peragentem actiones; morbum per affectum contra naturam easdem lædentem exprimit: at verò qualis cranij talis figura cerebri, visceris omnium nobilissimi; qualis costarum, talis pulmonis. *Galen.* 1. *anatom*: *administ.* camacis camparat. ossa. κάμακες sunt pali & pedamenta quæ tentoria sustinent; illa quadrata si fuerint, talis quoque tentorij apparebit figura, si rotunda etiam rotunda papilionum se exhibebit forma. Eode m modo figuræ ossium

ſium ſe accommodat aliarum figura partium, quur Therſitem Homericum ſtolidum notant Veteres? quur? quoniam ὀξυκέφαλος, hoc eſt, vitiatam habuit cranij figuram, cui ob id ſimilis effecta figura cerebri, actiones ſuas debitè peragere nequivit. Iam, quidnam magis pulmonem vitiat, ejus actiones impedit, imò frequenter morbi exiſtit cauſa quàm vitiata coſtarum figura? Teſtantur luculenter id gibbi, fœtentes illæ animæ. Hi quam cum perpetua conflictentur invaletudine, decolor facies, ſumma reſpirandi difficultas, ſimiliaque evidenter oſtendunt ſymptomata: unde autem? dicit *Aphor.* 46. 6. qui gibbi ex aſthmate aut tuſſi fiunt, ante pubertatis annos moriuntur. Dic tu, gibbi ſæpe ante pubertatis annos moriuntur, ſaltem brevis vitæ ſunt, eamque quam trahunt plurimis incommodis cumulatam ſentiunt, cauſa eſt, quod vitiata in illis coſtarum vertebrarumque figura hoc efficiat, non debite uti creſcentes neque juſtam acquirentes magnitudinem partes illæ continentes, requiſitam thoraci denegent capacitatem; hinc contentarum partium compreſſio, pulmonis potiſſimum; illud namque viſcus indies accreſcens, naturaque ſua pandere ſe quam maxime geſtiens, quum anguſtis illis vitiati thoracis cancellis coerceri nequeat, neque uti requiritur, ventiletur cordis calor, hincque neque

rigetur vivificante illa ac omnia refocillante aura, quod reliquum est corporis, hinc illæ lachrymæ. Idem quotidie in illis cernimus puellis, quibus ut junceæ, flexiles, ac graciles fiant, fascijs dum infantulæ adhuc costæ stringuntur, sicque earum impeditur accretio, quibus pectora verè carinata, uti eleganter loquitur *Plinius* 11. *cap.* 37. Merito damnat hanc consuetudinem *Gal. de caus. morb. cap.* 7. loco notatu digno. Idem false satis ridet *Terentius in Eunucho*, inquiens.

Haud similis virgo est Virginum nostarum: quas matres student,
Demissis humeris esse, vincto pectore ut gracilæ sient.
Si qua est habitior paulò, pugilem esse ajunt: deducunt cibum:
Tametsi bona est natura, reddunt curvatura junceas.

Ita, quam non unus occurrit apud Veteres locus, explodens pessimum illum mangonum morem, qui ut vendibilior merx foret puellularum corpora ita cogebant, pulchritudini, tunc habitæ, dum consulerent, ut valetudinem prostituerent. Amplius si velis, vide quot occurrant in dies, valgi, vari, loripedes, brachijs cruribusve distortis ac deformibus, undè autem? quod in imperitos inciderint chirurgos, quibus naturalis ossium figu-

ra, positus, connexio incognita. inde namque non raro evenit, ut nescientes quænam naturalis sit ossium artus constituentium figura, accedente imperitiæ violentia, in contrarium situm cogant ossa, eumque non minus vitiosum ac non naturalem quam is ad quem curandum vocati erant, quod ne cui mirum videatur is sciat, non semel idem aut simile in aliis evenire curationibus. Quoties vidimus, ut curaturus obstructionem aliquam, ex intempestivo aut nimio leptomerōn aperientium usu, in majorem longè eamque insanabilem obturationem ægros ejuscemodi præcipitaverit? Visus fuit Apoplecticus redditus Phreniticus, quòd priorem affectionem curaturus inconsideratè laminas ferventes capiti circumposuisset, ut superfluam cerebri humiditatem apoplexiam causantem absumeret. Alius opitulaturus ægro jecoris imbecillitate ab imtempere humida laboranti, nimio siccantium attenuantiumq; tam internorum quam externorum usu in ejusdem visceris scirrum hominem præcipitavit. Ita non pauci calculositatem sibi ipsis accersunt immodico calfacientium ac penetrantium usu. Sic est, verissimè Poëta.

Dum vitant stulti, vitia in contraria currunt.

CAP.

Cap. III.

De ossium natura, eorundem definitione, differentia, divisione.

Ossa omnium humani corporis partium esse siccissimas, ac durissimas, probatione egere non puto. Nec quod de pilis nonnulli in medium adducunt, me movet. Siccissimas ac durissimas maximeque solidas dico esse partes ossa sicque oportuit, quum instar athlantis universam corporis molem sustinere debeant. Documento existunt primum nati infantes, hac de causa pedibus firmiter insistere non valentes, sed vacillantes, donec actione caloris absumta superflua ossibus inhærente humiditate paulatim firmantur ac solidescunt magis (quod de ossibus, idem de ligamentis membranisque quas ossium compagibus addidit natura dictum volo.) Idem testatur, lallans nequiénsque articulare verba primum natorum lingua, nondum satis siccato firmóque reddito hyoide quod pro basi mobili illi parti fuit datum. Dicunt idem ebrij. Idem quibus spina dorsi σῶοι laborat, vitium ab Hippocrate notatum. Fernelius 2. De abditis rerum causis ossa brachiorum & crurum tam mollia reddita observa-

obſervavit, ut ceræ modo facile ſequerentur quocunque traheres, nec hæc aliunde, quam officium cui deſtinata oſſa, corpori præſtare quod nequeant, deperdita nativa illa ſua ſoliditate. Hinc namque ſaxis comparari ſolent. Ovid:

Mota Dea eſt, ſortemque dedit: diſcedite templo
Et velate caput, cinctaſque reſolvite veſtes
Oſſaque poſt tergum magnæ iactate Parentis.

Idem paulo poſt:

Magna parens terra eſt, lapides in corpore terræ
Oſſa reor dici.

Idem:

Quæ tamen ex illis aliquo pars humida ſucco
Et terrena fuit, verſa eſt in corporis uſum,
Quod ſolidum eſt flectique nequit, mutatur in oſſa.

Imo ſi nimium ſolideſcant ſibi invicem ſubinde ita adnaſci videas, ut ex pluribus numero, unum fiat continuatum os, actiones corporis efficaciter lœdens. Exempla quotidiana exhibet ſpina, cujus ſibi invicem adnatæ vertebræ, ſilicernios reddunt homines, dorſoque, incurvo ac repando admodum. Quo reſpiciens Hippocrates, damnat ſeniliqúe ætati incommodam dicit proce-

ram corporis ſtaturam, *aph. ultim. l.* 2. Conſpecti mihi tres quibus mortis fuit cauſa quod adeo induruiſſet epiglottis, flecti uti nequiret, nec deglutire pateretur ægros. Nec unus mihi viſus difficulter reſpirans, quod nimirum quum induruiſſet rigeretque ſcutiformis cartilago, impediret liberam diaphragmatis motitationem. Quid, nonne ideo Hippocrati ſemper damnatur hypochondriorum meteoriſmus? damnatur ſane, uti videre eſt Coac. *ſect.* 17. *aph.* 10. Contra interdum fieri obſervavit Baptiſta Condronchius, nimium uti molleſcat flacceſcatque, laxatis ligamentis, ipſáque hujus cartilaginis ſubſtantia emollita, procidat uti à ſterno, nec in ea ſe firmare queat diaphragma. De inſpirandi difficultate tales ſemper queruli. Breviter quocunque modo conſideres oſſa, ideo dura, firma, ſolidáque facta animadvertes, fulcimini uti corpori exiſtant: & ſi quando ab illa ſua natura ſive in exceſſu ſive in defectu abeant, detrimentum evidens corpori accedere. Vt ob id hac ratione commodè definiri poſſe videatur os: ut dicatur, *pars corporis primaria ſimilaris, inter omnes alias ſolidiſſima, duriſſima, ſicciſſima, ab innato calido in craſſiorem ſeminis partem agente genita, idque ob plures uſus, potiſſimum verò uti fundamenti loco univerſam corporis molem ſuſtineat.* *Partem* voco; nam actionem edit, partem

quia morbum pati poteſt. Intemperiem namque incurrit ſubinde, dum inflammatur; Malam conformationem, cum obſtruitur; ejus naturalis fiſtuloſitas aut cavernoſitas, quum callum incurrit, quum diſlocatur, Continui ſolutionem, quum frangitur, carie infeſtatur. Eamque *primariam* hoc inter ſimilares (illas namque tantum reſpicio) eminentem. Eminent mole, eminent uſu, alias namque partes ſe ad oſſium figuram accommodantes videas, uti idipſum muſculi teſtantur. *Similarem* dico. Omnes namque in quas dividi poteſt, etiam minutiſſimæ particulæ, & ſibi invicem & toti ſimiles apparent, nulla conſpicitur partium varietas, imo vix (quod tamen in arterijs, nervis, aliiſque vocatis ſimilaribus videre eſt) pluralitas, ijs ſolum exceptis quæ duabus conſtant laminis. *Solidatem, duritiem, ſiccitatem* præcedentia probarunt. Sane ni talia eſſent, vermium more in cœno ac pulvere repere cogeretur homo, neque ſtare, nec erectos ad ſydera tollere vultus poſſet. Prærogativa præferenda, meo judicio, reliquis cunctis quas homini adſcribunt hac in re curioſi; quod inquam cilium in utraque habeat palpebra, claviculas quod acceperit ſolus; manus exporrectas; ambidexter quod ſit; coxendices quod habeat; ſuris quod donatus. Horum inquam nullum comparandum cum eo quod ſo-

liditate ſua homini conferunt oſſa. Quem inde ἄνθρωπον quaſi ἄνω ῥέπων dixere Græci. *varios corpori accedere ab oſſibus uſus* addit definitio, neque ij contemnendi. Non enim tantum partibus fundamenti exiſtunt loco, quum non paucis aliis circumpoſita partibus, propugnaculi ipſis præſtent vicem cranij id docent oſſa, coſtæ, ſpinæ vertebræ, pubis os, coxæ utero ac veſicæ circundatæ. Firmant tympanum audituique conferunt quæ in meatu reperiuntur auditorio. Tuetur laryngem hyoides. Tegunt genua patellæ. Comminuunt deglutienda dentes, ijdem ruminant, linguæ petulantiam iidem coercent. Ita ſua ſingulis commoditas. Et quis quæſo luxuriantem naturam anguſtis adeo cancellis concludat? ejus eſt ludere in rebus humanis, ſicque noſtram ingenioſitatem eludere. Patebit magis naturæ libertas, diviſiones oſſium diverſas diverſoque ſi conſiderare voles fine. Differunt generatione ſive productione. Apparet primò & ante cuncta reliqua, ſpina. Deſiderantur áliquandiu carpi, & pedij oſſa. Dentes ne conſpiciuntur quidem. Bregmatis os poſtea producitur. Sic & obſervatum, tria illa auditus oſſicula juſta magnitudine, ſtatim apparere, neque, quod in reliquis cunctis fit oſſibus, poſtmodum vel tantillum accreſcere. Iam quantam figuræ varietatem oſtendunt

oſſa?

ossa? alia longa, rotunda, plana, alia lata, alia gibbera, sinuosa, foraminosa, duplicata, fistulosa, cavernosa, tenuia, crassa, appendicibus donata, processibus ornata. In hisce versatus requiritur chirurgus, difficulter alias nonnaturales ossium affectiones cum judicio tractaturus. Etiam usu plurimum inter se differre probatione non eget. Sciri tamen debet, quod majore cura tractari debeat principi aut nobili parti concessum quam ignobili. Novit Hippocrates, inculcans initio lib. de Capit. Vulner. nullum cranij vulnus leviter habendum. Testatur experientia, cranij fracturas sæpe dum arrident, tum vel maximè insidias struere: vicina namque pars princeps facile in consensum rapitur. Ita majore cum discrimine lœdi costas quam scapulas, crurum aut brachiorum ossa, quis nescit? Motu quoque differunt ossa: mobilia namque alia, motu carent alia, uti cranij. Inter ea quæ moventur non omnibus eadem agilitas: costis motus contingit obscurus, uti & carpi, metacarpij, tali & pedij ossibus, in perenni ferme motu versantur vertebræ, artùsque quæ constituunt. Quem hæc res habeat usum, videre est apud Hipp. 2. de Articul. ubi de ferulis tractat. Etiam notatu dignam imo necessariam differentiam ossium præbet conformatio. Plerísque enim undique induc-

tum perioſtium, ſenſilis illa membranula, cui oſſa nomen dedere, carent eâ nonnulla, veluti dentes, interior cranij ſuperficies. hanc varietatem non parum variare curandi rationem ignorare chirurgus non debet, ni turpiter ſe dare velit. Etiam in ſubſtantia oſſium inſignis diverſitas, quum alia, alijs longè copioſiorem acceperint medullam. Quo autem medulloſum magis os eò facilius inflammatione corripi qui neſcit, næ is inter curandum hoſti medicinæ debebit ludibrium.

Cap. IV.


De oſsium inter ſe connexione.

Vnicum continuatum humani corporis os fieri non debuit: ſtipes, palus fuiſſet homo. Is quum animal ſit ad motum, plura numero eáque diſtincta oſſa ita combinavit ſagax providáque illa cauſa omniſcia, omne genus motus uti peragere commodè queant, neque tamen loco moveantur. Anne ſyntaxeos una eadémque in cunctis oſſibus ratio? minimè. res hoc pacto ſe habet. Biſariam juncta oſſa inter ſe cohærent, aut motum facta conjunctione ſervatura, aut amiſſura. In quibus iunctis oſſibus

remanet motus, illa per ἄρθρον & διαρθρόσιν jungi dicuntur Græcis, Articulo & Articulatione Latinis. Quæ facta syntaxi moveri per se desinunt σύμφυσι græcis, coalitu latinis juncta dicuntur. Sicuti major est pars ossium caput constituentium. Cujus generis ossa tamen etiamsi juncta, omnia ac singula figuram tum & naturam suam retinent, dissolvi namque denuo queunt absque alicujus detrimento. nequis existimet me sub hac juncturæ specie comprehendere partes illas osseas appendices quæ constituunt, quum illa non tam coalitu quam adnascentia extremitatibus ossium adhæreant. Quod dico illud est; non paucis accidit ossibus, circa extremitates uti particulas sibi adhærentes ostendant, velut additamenta; haud aliter ac si sui oblita in productione ossium natura, eorum defectum adventitio illo suppleſſet. Idipsum addita exprimit figura.

a Os Tibiæ (quod pro exemplo ponimus) exprimens tam superiorem quam inferiorem epiphysin, etiamnum ossi adhærentem.
b Idem os, quod epiphysin Talum excipientem ostendit; alterâ ablatâ & seorsim expressâ.
c Epiphysis per se delineata.

Iungit


b
a
c

Iungit autem particulas illas ipſis primarijs oſſibus lenta quadam ac lubrica muccilagine, velut glutino. Quo ita firmiter adhærent, uti paulatina caloris actione induratâ illâ muccilagine adnatæ oſſibus videantur ſæpe nequidem combinationis veſtigium, obſcuram dico harmoniam, oſtendentia. Hæ particulæ ἐπιφύσεις Græcis Anatomicis, appendices vocitantur Latinis: quorum uſus (laborare hîc video Anatomicos) non ut velut opercula clauderent oſſium extrema, medullæque prohiberent effluvium, (præterquam enim quod non pauca reperiantur appendicibus carentia è quibus tamen non effluit medulla, etiam potuiſſet natura in prima formatione juſtam oſſibus tribuere longitudinem) quam ut circa oſſium extrema convenientem haberet ſubſtantiam cui ligamenta tendinesque adfigeret. Eſt namque oſſium ſubſtantia ſummè dura, nec comparanda cum tendinum ligamentorúmque conſiſtentia: diverſa illa, ſubſtantiâ mediæ naturæ jungi debuerunt, qualis epiphyſium, ut quæ in infantibus cartilaginoſæ apparent omnes. Idem in conjnnctione coſtarum & ſterni videre eſt. Eadem cauſa quur molli cerebro duroque cranio mediæ naturæ membranas interjectas videamus. Tradita duo illa univerſalia connexionis oſſium genera, ſuas admittunt differentias. Quæ nam-

que ἄρθρῳ junguantur, aut synarthrosi, aut diarthrosi juncta dicuntur. Hanc vocantes, synthesin ossium, quibus motus admodum evidens ac liber: illam eorundem homiliam cum motu quidem sed conspicuo minus. Utraque rursum tripartito, in Enarthrosin, Arthrodiam, Gynglymon subdividitur. Enarthroseos in diarthrosi exemplum est, in commissura capitis ossis femoris (cui manifesta cervix, cuique utrimque adstant trochanteres) sese immittentis in profundam coxendicis κοτύλην. Arthrodiæ, in combinatione ossis humeri cum superficiario sinu scapulæ. Gynglymi, in syntaxi ossium humeri & cubiti: tum & (quidquid à nonnullis id negetur) in commissura vertebratum dorsi.

Enarthroseos in synarthrosi specimen exhibet, conjunctio astragali cum scaphoide. Arthrodiæ, os tesseriforme calcaneo junctum, Gynglymi, quaternio cum calcis osse.

Peracta syntaxi quæ per se porrò moveri desinunt (quod σύμφυσις seu coalitus efficit) triplici id faciunt ratione, sutura, gomphosi, harmonia. Sutura gynglymum exhibere videri posset, motus junctis si maneret ossibus: cujus exempla nimis nota exhibentur à cranij ossibus. Gomphosis, ubi os ossi instar paxilli infigitur, exemplo sunt dentes etiam ablatis gingivis firmissimè maxillis immissi.

immissi. Harmoniam proponunt, quæ simplici linea, nulla dentata mutuave immissione sibi invicem cohærent; uti narium officula, palatum quæ constituunt; addere licet pubis, menti ossa. Nisi quis illa ad adnascentiam referat, de qua in appendicum historia jam dictum.

Porro provida & sollicita, de operum suorum perfectione natura non contenta ossa sibi inuicem simpliciter jungere sive aptare (videbat namque levi de causa fluctuatura ac diffluitura) in nonnullis carnosam substantiam majoris firmitudinis securitatisque causa ipsi copulationi jam peractæ circumiecit, uti in gingivis dentes firmantibus videre licet; hanc rationem syssarcosin voce græca vocant Anatomici: in nonnullis (ijs pene omnibus motum quæ post conjunctionem amittunt) intermediâ cartilagineâ muccilagine velut glutino aut visco usa fuit, sicque ea conferruminavit; synchondrosin dicunt. In majore verò articulationum, parte validis usa ligamentis articulos undique amplectentibus, ea ratione impedire conata fuit junctorum articulorum dissolutionem, quod syndesmosi fieri dicunt scriptores Græci. Hæc copulationis ossium ratio. Scio Galenum lib. de ossib. obscuriorem videri in symphysi, verum recte consideratus beneque intellectus collatúsque cum non uno ejusdem Authoris loco

alijs tractatibus, distributionem hanc non turbabit. Hæc pene tam diversa ossium inter se combinatio, & bene perspecta & quoque cordi esse debet chirurgo, si feliciter loco mota ossa restituere volet. Sciat necesse est quænam profundè, quænam superficietenus vicinis se immittant: quænam articulationes insigniores sibi adstantes habeant nervos quis membri dislocati musculorum sit ductus; num apophyses sive processus additi, restitutionem extremitatum impedire qui possent (uti in scapulæ cum humero junctione): omnino vero, num unà cum dislocatione seu locomotione epiphysis avulsa à suo sit osse. Observatum à me non semel in hoc casu, licet in pristinum locum ossa mota restituantur, immobile tamen manere membrum. Causa quod difficile sit chirurgo (in appendicum, natura non bene versato potissimum) avulsa appendicis tubercula sive prominentias asperas ita aptare ijs quibus adhærent cavernulis, naturalis uti sit coalitus, hoc est talis qualis ante disiunctionem. Inæqualis aptatio hoc efficit, callus uti intermedio concrescens loco, comprimi ab appendice ita faciat ipsam articuli cavitatem, locus uti oblitteretur in quo capitellum antea libere se movere solebat. Vt & hinc conspicuum sit, quanta sit cognitionis ossium utilitas, imo necessitas.

CAP. V.

Quid Scelĕtos, quis ossium humanorum numerus.

Hisce præmissis, tempestivum jam ut parculatim ad singulorum accedamus ossium examen. Quorum universa strues certa quadam syntaxi sibi invicem cohærens σκέλετος dicitur Græcis. Unde veteres de ossibus scripturi titulum scriptis suis fecere περὶ σκελέτου; alij περὶ τῆς ὀστεολογίας, notante id Gal. cap. 2. lib. 1. Anatom. Administr: Sceleti vox à σκέλλω deducta, idem innuit quod ξηραίνω, sicco nimirum, arefacio. Non enim potis es commodè ossa tractare aut examini subijcere, nisi à sordibus purgata sicque siccata prius. Galenus citato videatur loco, memorans duo se vidisse sordida scelera, alterum cadaveris quod vi flluvij aperto sepulchro in ripam delatum; latronis interfecti alterum. Fœdum, ne dicam inhumanum ejuscemodi tractare ossa, sed mundari debent, siccari sicque conveniente combinatione sibi invicem nexa ad certam syntaxin reduci, ut ideam humani gerant corporis. Quo pacto Ægyptij dicuntur epulis suis soliti ejuscemodi ossea corpora inferre, ut sortis suæ ac mortalita-

tis convivas redderent memores. Talis itaque structura humanorum ossium σκέλετος dicitur. Constans certo ossium numero. Certo cum dico, ordinaria sive regularia humani corporis ossa intelligo, sepositis accidentarijs. Ordinaria voco quæ stata naturæ lege certaque intentione communiter in omnibus corporibus perfectis se offerunt, & quorum certus ac necessarius existit usus, seu regularis necessitas. Accidentaria, quæ certo ac determinato fine non tam à natura regulariter agente producuntur, quam accidentaliter, natura velut aliud agente, proveniunt: tale est os cordis vocatum; tales in nonnullis siccioribus calidioribusque senibus laryngis cartilagines, osseæ paulatim redditæ. Huic numero adscribendæ cartilagineæ illæ partes spinæ vertebris, lubricitatis faciliorisque motus gratia interpositæ, rigidam tum reddentes spinam, neque usum sed impedimentum, adferentes. Ita epiglottidem assumsisse duritiem osseam, à me observatum, dixi ante: Similiter conspectus à me thorax totus osseus, dico in quo etiam partes costarum cartilagineæ ipsumque sternum cum scutiformi cartilagine osseam induerant duritiem. Quid cartilagines dico? visa fœmina cui os uteri (membranosum natura sua) osseam acceperat duritiem. Hisce addi velim sesamoidea

idea vocata officula. Regularia itaque solum hic prosequor, quæ statuo numeo 252. Distribuens quadripartito, in ea quæ caput, dorsum, thoracem, quæque artus constituunt.

Quæ ut magis conspicua sint, sequens id faciet Tabella.

Biscentum

Biscentum quinquaginta duo in universum sunt humani corporis ossa (ordinaria) quorum alia constituunt.

- j *CAPUT. quod 61. Sibi vendicat, eaque quatuor partium,*
  - *Calvaria quatuor.*
    - *Frontis. 1*
    - *Sincipitis. 2*
    - *Occipitis. 1.*
  - *Temporum undecim.*
    - *Petrosa. 2.*
    - *Iugalia 2.*
    - *Auditus. 6*
    - *Hyoides. 1*
  - *Maxillæ superioris viginti novem*
    - *Cuneiforma. 1.*
    - *Colatorium. 1.*
    - *nasi 2.*
    - *in majoribus oculorum angulis 2.*
    - *malorum. 2.*
    - *ad palati finem transversim. 2.*
    - *in interna narium parte, cartilaginea. 2.*
    - *narium interstitium. 1.*
    - *dentes 16.*
  - *Maxillæ inferioris septemdecim.*
    - *ipsum maxillæ os 1.*
    - *Dentes 16.*
- ij *SPINAM ossibus constantem 34. Soletq; dividi in.*
  - *Cervicem cujus vertebra septem.*
  - *Dorsum, cui 12, tribuuntur vertebræ.*
  - *Lumbos; quibus quinque debentur vertebræ*
  - *Os sacrum, ossibus constans sex.*
  - *Coccygem, fungosa quatuor ossicula ostendentem.*
- iij *THORACEM Huic verè 47 debentur ossa: inter quæ quum duodecim vertebras sibi sumserit Dorsum, hinc est quod est 35. Ossa Thoraci tribui soleant, quorum alia sibi sumunt.*
  - *Scapulæ. 2.*
  - *Claviculæ. 2.*
  - *Costæ. 24.*
  - *sternon partibus constans. 7.*
- iiij *ARTus, quorum alij*
  - *Superiores, brachia ossibus constantia 60.*
    - *Humerorum, 2.*
    - *Cubitorum. 4*
      - *ulna*
      - *radius*
    - *manum quæ dividuntur in ossa.*
      - *carpi. 16*
      - *metacarpii. 8.*
      - *Digitorum 30.*
  - *Inferiores, crura quorum ossa. 62.*
    - *Coxendicum. 2.*
    - *Femorum. 2.*
    - *Genuum. 2.*
    - *Tibiarum 4.*
      - *ulna.*
      - *Radius*
    - *Pedum quæ dividi solent in*
      - *Tarsum 14.*
      - *Pedium. 8.*
      - *Digitos 30.*

Capite

Capiti 61. adſcribo. calvariæ quatuor; temporibus undecim, ſuperiori maxillæ viginti novem, ſeptendecim inferiori maxillæ. Dorſo. 34. Inter quæ ſeptem ſibi vendicat cervix, duodecim dorſum, lumbi quinque, totidem os ſacrum, coccyx quatuor. Thoraci 35. ſcapularum duo, totidem clavicularum, ſterno 7. quibus 24. addendæ coſtæ. Artubus ſuperioribus 61. duo humeris, cubitis quatuor, triginta manibus. Inferioribus artubus 62. inter quæ coxendicum duo, femorum, genuum totidem, tibiarum quatuor, pedum 26.

CAP. VI.

Capitis oſſa. De iis quædam univerſalia præmiſſa.

A Capitis oſſibus initium fiat. Merito, quum caput ita dictum, quod inde corpus aut homo initium capiat. Dubitas? parturiginem intuere, videbis capite primum excludi corpus, poſtremo ſequi cum cruribus pedes, naturalis ſi ſit parturitio. Inde namque nata olim, quam & hodie ſequimur, conſuetudo, defunctos pedibus primum efferendi.

Notat Plinius lib. 7. cap. 8. eo respicit Persius:


Tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit.

Pedibus si se ostendat primum infans, vitiosa, non naturalis, nec raro matri & foetui exitialis talis enixus: tales enim Agrippæ, quasi ægrè parti Romanis dicebantur, qui hac de causa Prosam & Postvortam, quarum illa naturali, nonnaturali enixui hæc præfecta, finxerunt Deas, uti idipsum docte ex Agellio notat vir clarissimus Johannes Meursius, sui de Puerperio syntagmatis, cap. 1. A capite itaque initium capit homo, nec abs re, quum capite illud contineatur viscus, nominis dignitatem homini quod tribuit, cerebrum inquam rationis author. Osseum caput examinare adgredimur, calvam & calvariam id latini vocant, quod calvitiem primo omnium homo hic incurrat. Græci κράνιον, quod se habeat velut κράνος seu militaris galea, tam figura quam usu, Intus namque eam obtinet cavitatem, quæ moli cerebri respondet, propugnaculi vicem ei præstans, arcendo injurias ambientis, insuperque calorem contenti fovens. Hujus cavitatis respectu


respectu caput Græcis κεφαλῆς nomen accepisse autum ant etymologi ἀπὸ τοῦ κεκυφῶσθαι nimirum, à cavitate. Quam respiciens 4. de morbis Hippocrates, caput cucurbitæ comparat; notans caput hac de causa omnium maximè morbis infestari trahens nempe cavitate suâ, noxia è subjectis partibus. Ossea hæc galea, duplicato constat osse, (laminas, tabulas cranij vocant chirurgi) quibus telis aranearum similem sanguinolentam medullam, innumeris refertam cavernulis, interposuit provida natura. Æthoiopis hoc est cranium, qui in Batenburgici Domini quum esset famulitio, herum suum comitatus ad Harlemensem obsidionem Anni 1572, expeditione illa non ex voto succedente, una cum Domino trucidatus fuit. Cranium (quod penes me est) ictubus aliquot pertusum hic exhibere visum, ea mole tum & crassitie, quam in eo videre est. Patet hic conspicuè admodum ac distinctè valde utraque cranij tabula, intermediaque medulla.

a Limbus seu externa ora tabulæ extimæ.
b Interna tabula.
A Medullositas spongiam referens, duabus tabulis interiecta.

Hoc eſt quod lib. de cap. vulner. cranium διπλόην vocat divinus ſenex, monens chirurgum, omnium oſſium facillimè inflammari cranium: oſtendit id trepani uſus, oportet namque ferramentum illud aliquotiens ablatum lacti aut aquæ immergere, ne circumactione æſtum concipiens medulloſitatem hancce in inflammationem conijciat. Fit ſubinde ut præictu in caput incidente, medulloſitas hæc è ſuis excuſſa cavernulis putreſcens ac inflammata cranij tabulas inficiat, nulla apparente exterius noxa: exempla apud neotericos obvia ſunt. Duplicatum eſſe cranij os dico, univerſa nimirum calva ſimul conſideratâ: è pluribus namque conſtat oſſibus, quibus omnibus eadem duplicitas. Hæc ſymphyſi ſibi invicem juncta hærent, idque aut ſuturâ, gomphoſi, aut harmonia. Suturæ, ut tranſitus pateret membranoſis menyngum filamentis factæ fuere. Unde læſo cranio, religioſè cavendum crirurgo, de ſcalpris, ſimilibuſque inſtrumentis ipſa ſuturarum tangat loca, noxio cruciatu affecturus ægrum. Etiam ut via daretur naturæ propellendis cerebri imo totius corporis ſuperfluis, ne idem quotidie nobis eueniat quod ei cujus Galenus meminit lib: de faſc., cui præ nimis firma capitis ligatura, arctatis ſuturis, cohibitiſque excrementis tanta fuit oborta inflammatio, oculi uti eruperint


a
A
b

perint ex orbitis. Idem ij ſuo docent exemplo, ſuturæ quibus denegatæ, de perpetua cephalalgia queruli. novit tales Columbus, alijque ex neotericis. Talem diſſectum ego vidi à clariſſimo Brucæo, cujus miſera aliquot annis fuerat conditio. Adde ut ſuturarum ope nexa cranio dura menijnx hac ratione pendula, ſpatium liberum moventi ſe relinqueret cerebro; impediaturque eadem membrana, ne in cerebrum ſe præcipitans ſuo pondere nobiliſſimo viſcerum impedimentum adferret. Sunt porrò ſuturæ plures numero, eæque vulgo cognitæ. Fit interdum natura uti ludens peculiares fingat, quodipſum circa occipitis os euenire obſervatum à me non ſemel. En exemplum in hac figura.



a *particula ossea, peculiaribus circumscripta suturis.*
b *sutura sagittalis limites suos extendens, & per frontis os ad nares usque excurrens.*
c *hic coronaria & sagittaria suturæ contactus, ϭρίγμα vocatur.*
d *sutura lambdoides.* *e* *os occipitis.*

Notabit

Notabit chirurgus circumſpectus uti ſit, neue hæſitante ſpecillo protinus certo aſſerat fractum ī- nibi aut fiſſum cranium. Poteſt hæc res ei imponere, caſum non unum ego vidi. Jam illud maxillæ ſuperioris ſive palati oſſiculum dentes cui inciſorij in hærent, peculiari cingi † ſuturula, attendenti patebit. Vere ab Hipp. notatum initio lib. de capitis vulneribus, in multis non convenire humana capita. Circum ſcriptione variant, quum aliis oblonga, quadrata, rotunda a- lijs appareant, qualia Turcarum, Groenlandorum. Variant oſſium craſſitie, firmitudine: quam etenim alijs craſſiora alia, ſolidioraque? æthiopicum mihi cranium incredibilis craſſitiei, quod ob id depictum exhibui pag: 28, idque prout ab Hiſpanis in Harlemenſi exceptum obſidione. Batenburgio Domino miſer hic ſuam addixerat operam, eoque majore in eum ſævijt ira ferox illa natio. Euidenter hic oſſium cranij apparet duplicitas, intermediaque medulloſitas; minuſque mirabitur hæc videns, ſi tribus conſtare tabulis cranium, à neotericorum nonnullis audiat. Variant denique ſuturis; quibus omni exparte nonnulli deſtituuntur, ſagittalis, tam frontem quam occiput medium ſecat in nonnullis, uti Veſalius, Euſtatius vidiſſe ſe aſſerunt; duplicem ſe obſeruaſſe lambdoidem Sylvius

† *Vide Figuram pag. literate.*

vius testis. Nonnullis peculiares suturæ. Quod de sagittalis monui varietate, notatu non indignum, hæc vulgò & communiter ad coronalem ubi venerit, se sistit, fit tamen interdum limites uti suos transiliens ulterius ad nares usque excurrat, frontis os bifariam* secans. idipsum solis qui fœminis familiare existimant, falluntur, observaui, idque non semel, in fœminis desiderari, in viris se ostendisse, & è contra, naturæ lusus est; nihil hic certi aut determinati. Vere ille:

*id manifestè exhibet figura pag.

Ludit in humanis divina potentia rebus.

Sunt qui scribant, ita excurrentem hanc suturam delere semper ossis frontis cavitatem. Falsum & id, uti autopsia in cranio quod mihi domi* ostendit euidenter. Porrò non indignum notatu Hippocratis monitum lib. de cap. Uulnerib: nullibi quam in bregmate periculosius lædi cranium. causas (plures namque sunt) dabimus in pleniore dicti ossiculi examine, paulo post. Addit, ex ijs fronte anteriore ve capitis qui læduntur parte plures mori, quam qui posteriore: cujus etiam plures autumo causas. firmius namque solidiusque multo frontis osse occipitis os, eoque ad majorem comparatum dyspatheian. Accedit, inductam fronti cutem musculosam totam esse, hincque

*Vide figuram pagin.

hincque læsa creatur palpebris periculum, quod in occipite locum non habet. Etiam fronti insignis illa quà aër cerebro præparatur, insculpta lacuna. Hæc, violentia aliqua in os hoc incidente, in consensum facile trahitur. Adde, quod sub fronte cerebrum bifariam divisum ab intermedia dura menynge conspiciatur secus ac in occipite, unde ibidem cranio læso, periculum metusque oritur, ne ab ipso cujus continuum lesum, osse, sanies aliæve collectæ sordes in subjectam instillent hiaturam, unde difficulter nec nisi maxumo vulnerati discrimine educi possent. Iungatur & illa causa, magis quod cum anterius quam posterius caleat cerebrum, ne superveniat inflammatio fronte percussa, metus sit. Magis autem æstuat, ob calidorum vaporum, quos per bregma expellere solita est natura, concursum, tum &, quoniam falci qui ab Anatomicis comparari solet sinus, per convexam cerebri se efferens partem, in fronte suum habet terminum. Quid si & oculorum causâ, periculosiora quam occipitis dicamus frontis vulnera? Hasce causas fidem facile facere Hippocratico arbitror enunciato. quod sane nobile, nec ullo pacto contemnendum, judicij fuisse maxumi, experientiamque habuisse incredibilem divinum illum senem, ostendens. Ad cranij porrò quod attinet duplicitatem, scien-

dum, accidere interdum præ ictu in caput incidente, eam quæ feritur, externam dico tabulam, manere illæsam, fissâ (interdum & fractâ, idque avulso fragmento) internâ; qui ægri verè infœlices: Vidi, ictus vehementiâ avulsum ab interna tabula fragmentum (integra exterius apparebant omnia) cerebro suo acumine profundè infixum, apoplexiam excitasse, mortemque subsequutam. Fit subinde, fronte uti icta findatur occiput, illâ integrâ existente; & è contrà. Tum & verberato tempore dextro, oppositum findi, inviolato ipso ictus loco. Resonitum sive contrafissuram hunc vocant casum scriptores, notatum lib. de cap. Vulner. ab Hippocrate. Facile nobis hinc esset in integro ostendere cranio, quot modis lædi sive vulnerari caput queat osseum; quidque sit ῥῶγμη, ἐγκοπὴ; διακοπὴ, φλάσις, ἔνθλασις; quid Fissio, Collisio, Introcessio, Teli sedes: aut, uti noster de capitis vulneribus tractatus, quid Perforatio sive Punctura, Dedolatio, Fissura, Fractura, Contusio. Verum in suum hæc differre malo locum. Commentaria nostra ad Hipp. de capitis vulneribus, aut peculiaris noster de eadem re tractatus, rem hanc plenè prosequetur.


CAP.

CAP. VII.

Osium cranii divisio, primumque de iis calvariam quæ constituunt.

OSSA capitis, quæ 61. statuo, quadrifariam diuido, ut alia sint Caluæ, alia Temporum, Maxillæ superioris, Inferioris alia. Calva & Calvaria mihi est, superior convexa cranij pars capillis tecta, quæque iis deciduis hominem quod caluum reddat, sic dicta; Græcis, inverse considerata, κόγχος & σκάφιον. Huic ossa tribuo quatuor, frontis, duo sincipitis, cum occipitis osse. *Frontis os*, anteriorem constituit calvæ partem. Eam definit Arist. 1. histor. animal. cap. 8. Faciei partem quæ sub sincipite posita, inter idipsum & oculos est. Idem os etiam *Coronale* Anatomicis, à coronali illud cingente sutura. Etiam *Os sensus communis*, iis, facultates principes sedibus qui distinguunt. Os *inuerecundum*, à cutis huic inductæ ossi constitutione (quæ arbitrario motu mobilis) animi inditia quod sumi solita ab artis ejus peritis; unde corrugare frontem, contrahere, exporrigere frontem, perfrictæ frontis. indeque fronti, à ferendo, quod animi indicia præ se ferat, datum nomen. Os nobile, cui

major fossarum ocularium pars insculpta, narium ossa cui juncta, cui ethmoides os immissum, opticorum nervorum quod exhibet foramina. Hoc anterius naribus, oculisque; (quorum thalamis parandis non parum inservit) superius bregmati jungitur; partibus lateralibus tangens tempora; circumscriptum coronariâ suturâ. Quà nares tangit, insignem sibi insculptam ostendit cavitatem, quam efficiunt duæ hujus ossis, hoc loco à se inuicem distantes, tabulæ. eam conspicuè quæ versâ paginâ sequitur, ostendit figura.



a.a Cavitas

a. a Cavitas ossis frontis in nares pervia, quam sequens proponit figura
b Os frontis.

Cavitas hæc superius osse undique clauditur; inferius in nares pervia est. Vt plurimum hanc in duo dirimit latera, prominens velut osseus ab interna se exserens tabula processus; uti idipsum jam exhibita figura evidenter ostendit. Viridis hanc cingit membranula, materiam continens viscidam, substantiæ cerebri, externa si respicias, non multum absimilem. Hanc qui inter odores discernendi vim obtinere arbitrentur, non desunt. nam odorum materia attracto inhærent aeri, qui huic se infundit cavitati. quorum tamen sententia apud me locum invenire hactenus quod non potuerit, id facit, nulli quod hunc attingant locum odorem materiam cerebro oblaturi nervi, in reliquis uti sensuum organis videre est. Voci hanc opitulari cavitatem existimarunt alij: movit hos, quod simis, seu depressæ quibus nares, ideo vitiatam esse putent vocem, quod in illis deleat hanc cavitatem, quæ ad nares usque excurrit, sagittalis futura. at autopsia hos redarguit; sunt enim mihi crania hac cavitate insigniter instructa, in quibus nihilominus eam in duas dispescit partes sagittalis. Longe alius, meo judicio, lacunæ hujus usus, ut nempe in ea remora-

tus qui per nares tractus fuit aër, ita plenius coquatur ac præparetur cerebro, ne is sua aut cruditate, aut insigni, quà non rarò pollet intemperie, nobile illud viscus offendat. in narium namque foramina hæc fossa desinit, indeque in cribriforme os patet per odoratorios nervos cerebrum petenti acri aditus. Observasse se scribit Paræus, quum præ hujus loci vulnere, fractâ tabulâ externâ, detegitur hæc cavitas, difficulter solidescere vulnus, sed ejuscemodi vulneratis ulcus insanabile linteolo aut emplastello obducendum. exempla mihi nota. Etiam id à me observatum, quum reficitur hujus loci vulnus, aërem non absque impetu erumpere, eum esse existimantibus imperitis chirurgis, quem cerebrum eructat.

Secundum cum Tertio illa sunt ossa, inter coronariam & lambdoidem quæ media * sunt suturam, diremta ab intermediâ sagittali, sive rectâ. Hæc majorem calvæ constituunt partem. Sub hisce falcem referens se extendit sinus. Sub hisce bifidum videre est cerebrum, profundâ satis divisurâ. Hæc Bregma; hæc Verticem constituunt. Hinc *Verticis ossa* vocitantur. Est namque vertex horum ossium centrum, locus inter frontem ac occiput * medius, à vertendo (capilli namque hoc loco in gyrum se vertunt) sic dictus; indeque ἀπὸ τοῦ πολεῖν, πόλον vocarunt Græci. Nonnullis

* *notata figura Pag. b.*

* *Exhibet eum. a figura pag.*

lis *Oßa rationis seu Cogitationis*. *Bregmatis ossa* alijs, à bregmate quod constituunt. βρέγμα is horum ossium locus dicitur, ubi mediante sutura sagittali coronariæ iunguntur. ἀπὸ τοῦ βρέχεσθαι Sic dicitur à mollitie, est namque in primùm natis apertus seu osse vacuus hic locus: palpitantem ostendens verticem, apertusque aliquamdiu manens, inde natum, quod Fontem capitis hunc vocent locum obstetrices. Locum hunc evidenter ostendit infantile hoc sceleton. Vidisse se fœminam notat magnus Bauhinus, Anatomicorum hujus sæculi verè princeps, cui. 26. ætatis anno nondum indurverat. Huic, siquando capite doleret, dilatabatur hic locus. Et sane, quam interdum valetudini conferat apertum hoc loco esse cranium, insigni illa apud Clariss: Guilelmum Fabricium Hildanum, chirurgum celeberrimum, & de facultate chirurgica optume meritum ac merentem, videre est Observationum chirurgicarum Centur. 2. Observatione. 8. Ossiculum quo hanc hiaturam postmodum claudit natura, reliquis capitis ossibus nunquam similem postmodum induit crassitudinem, nec soliditatem. lumini obiectam si intuearis calvam, transparentem hunc ut plurimum cernes locum, hæcque causa quod medici periti huic loco apprimi cauteria ad catarrhi in pulmonem ruentis cohibendam feroci-

am


am consulant, in hunc fieri perfusiones, irrigationes, inunctiones, & quidquid denique est topicorum quæ subjectum exigit cerebrum, utpote eorum efficaciâ per ossis hujus tenuitatem facilius se traijciente. Non desunt hujus ævi scriptores, qui ossiculum hoc in pollinem conversum, in Epilepsia singulariter commendent. Quæ hujus ossiculi sit figura, exhibetur pag. littera.

Hic is locus; quem singulari notat studio lib. de cap. vulnerib. Hippocrates, asseverans nullum in toto capite locum periculosè adeo, uti huncce lædi. Etenim infirmum hoc ossiculum à levi causa pertunditur facile: nec hoc solum, veruminsuper & eâ de causâ, quod perpendicularis cerebro, imo universo corpori hic quum sit locus, omnes eum ferientes ictus rectilinei sint ac in se recurrentes, unde major longè cerebri concussio, commotio, acpeturbatio. recurrens namque in se ictuum vis, majorem dat effectum. pilam vide, quam rectâ lineâ terræ si allidas, altius resiliet quam obliquus si fuerit ictus. Solares idem docent radij, qui quod æstate efficacius agant, quis causam nescit aliam quam rectilinei magis, tum quod sint, earum vis in se recurrat efficacius? Idem hic fiet, adeò ut præ illa commotione interioribus cerebri vasculis non rarò disruptis,


A
B
B
B
A
C

tis, effusus sanguis mortem adferat. Cerebri hanc concussionem (quæ etiam non diviso osse accidere potis est) σεῖσιν & σεισμὸν vocat Hippocrates, ejus mentionem faciens Coac: sect. 12. aph. 2. Vnum, ut ostendam rationem imbecillitatis hujus loci efficacissimè ab externis causis affici cerebrum, addo; quod Veteres soliciti non fuerint infantibus nomina ante octavum imponere diem, experientiâ docti, persusionem bregmatis aquâ frigidâ ad cerebrum validè penetrare, facereque ut pueruli convulsionibus, epilepsiæ alijsque magnis affectibus obnoxij fiant. Hæc res forte Lybes movit, quibus in more, infantum primùm natorum bregma œsypo ovillo accenso inurere, ut hac ratione ipsis siccius redditum, firmaretur magis cerebrum. Illud porrò à me observatum, frequentius hisce quàm aliis calvæ accidere ossibus, ea uti parte qua occipitis os attingunt peculiaria se ostendant ossicula, suis suturulis circumscripta, quæ dubites num ad bregmatis num verò ad occipitis partineant ossa.

Inferatur hinc iterum figura pag: inserta addaturque uti hujus figuræ proponit tabula, a..



Hæc

Hæc autem, incidente hisce locis vulnere, imponere suturis suis chirurgo possent, exploranti specillo locum læsum, specillum namque si hæsitet, existimabit ibi fissuram esse. Notavi id antea cap. 6. Notat idipsum Celsus lib. VIII, cap. 4. dicens: *Sed nihil tamen melius est quam certiore id* „ (nimirum num divisum sit cranium) *notâ explorare. Ergo quà plaga est, demitti specillum oportet, neque* „ *nimis tenue neque acutum; ne cum in quosdam sinus na-* „ *turales inciderit, opinionem fracti ossis frustra faciat, ne-* „ *que nimis plenum, ne parvulæ rimulæ fallant. Ubi spe-* „ *cillum ad os venit, si nihil nisi læve & lubricum occurrit,* „ *integrum esse videri potest: si quid asperi est, utique quà* „ *suturæ non sint, fractum os esse testatur.* Certe tantum „ hæc res potest, ipsi uti Hippocrati imposuerit. Id ille ingenuè fatetur 5. Epidem. sect. 4. *Autonomus* „ (inquit) *in Omilo ex capitis vulnere mortuus est, die 16.* „ *media æstate, lapide ex manu ictus in suturas in medio* „ *sincipite. Quare non animadverti ipsum secari opus habe-* „ *re, deceperunt enim me suturæ habentes in seipsis jaculi* „ *læsionem, posteà enim conspicuùm id fiebat.* Laudanda „ hæc viri ingenui est ingenuitas. laudat Plutarchus, Celsus, qui loco citato hæc, *A suturis se deceptum* „ *esse magnus Hippocrates memoriæ prodidit, more scilicet* „ *magnorum virorum & fiduciam magnarum rerum ha-* „ *bentium: nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi* „ *detrahunt: magno ingenio, multaque nihilominus habi-* „

» *turo, convenit etiam simplex erroris confessio, præcipue-*
» *que in eo ministerio quod utilitatis causa posteris tradi-*
» *tur, ne qui decipiantur eadem ratione qua quis ante de-*
» *ceptus est.*


Vide c. figurá pagin. Quartum calvæ os fronti ex diametro opposi-tum, *Memoriæ os*, ab iis, hanc facultatem certum qui in cerebro locum habere existimant, di-ctum. Aliis *Basillare os*, non contemnendam ba-sis capitis quod sustineat partem. junctum ossibus sincipitis, petrosis, cuneiformi, spinæ. Circum-scribitur lambdoïde sutura. Bifidum interdum (verùm raró admodum) à sagittali limites suos transiliente, foramine pervium insigni; ausim di-cere, omnium quæ in ossibus visuntur maxumo, nisi à pubis superetur foraminibus. Per hoc, ini-tium spinalis medullæ sacræ se infundit fistulæ. Adstant utrimque processus. (κορώναι dicuntur lib. de ossibus Galeno) quorum ope primæ vertebræ articulatur hoc os; argumento efficaci, caput non in, sed cum primâ vertebrâ circulari moveri motu, cum quæ circulariter moventur basi unicæ innitantur necesse sit. Firmum satis hoc os, robur eï addentibus prominentijs.

Vide pi-ctūram cranio-rum, pag.

Vide e-andem figuram litt. f. f.

Exhibet eas A. figura hinc inserta.

nonnul-



nonnullis tam externâ quàm internâ ſuperficie conſpicuis. Factum id ſingulari à naturâ inſtituto arbitror; ictus enim à tergo prævidere nequit animal, oculis in cervice deſtitutum. Cujus tamen rei naturæ non defuiſſe reor cauſam, ne nimirum

contrarijs motibus ſimul eodemque momento corriperetur homo. Nam viſus in nobis excitat deſiderium conſequendi quod cernimus. Hinc crura (genuum id docet articulatio) hinc pedes antrorſum protenſos videre eſt.

Cap. VIII.

Temporum oſſa deſcribens.


SEcundum oſſium capitis agmen, ea quæ Tempora conſtituunt, ducent, loca capitis lateralia ac declivia, ad oſſium ſincipitis terminum infimum utrimque. Sic dicta, vitæ tempus quod denotent, nam horum loco capilli caneſcunt primum. Græcis eadem mente κρόταφοι, παρὰ τὸ κηρύσσειν τάφον, quod ſepulchrum denuncient. Temporibus undecim tribuo oſſa, inter quæ *Petroſa*, primo ſe exhibent, quæ & *Lapidoſa*, λιτοειδῆ græcis à lapidea duritie ſic dicta, tenuiſſima namque exiſtunt, verùm duriſſima, ac ratione duritieï fragilia. Etiam *Aurium oſſa*, quod earum cartilagines hiſce ſe infigant. *Parietalia*, quòd parietum inſtar latera capitis fulciant. *Mendoſa* etiam, quaſi degenerantia, à reliquis namque abeunt ſuturarum natura, quæ cum in ceteris dentata, hinc oſſium ſquammis ſibi invicem accumbentium non abſimilis,

Explicatio characterum figuræ duorum craniorum

a os frontis, diremtum à ſutura ſagittali.
b alterum ex oſſibus ſincipitis ſive bregmatis.
c os occipitis.
d os petroſum.
e os jugale.
f.f. proceſſus foramini oſſis occipitis adſtantes, quibus prima vertebra articulatur.
g.g. peculiares quæ inciſorios dentes circumſcribunt ſuturulæ.
h ſutura os jugale in duas dividens partes.
i proceſſus mamillares oſſis petroſi.
k oſſis malæ portio prominens, conſtituens alteram oſſis jugalis partem.
l ſinus in quo inferior maxilla volutatur.
m proceſſus oſſis petroſi ſtylo comparatus.
n meatus auditorij initium.
o oſſa narium.
p oſſicula in majoribus oculorum angulis.
q os malæ.
r foramen inconiugatum oſſis malæ.
ſ pori oſſium palati.
t oſſicula tranſverſa ad palati finem.
u os cuneiforme.
x inferior maxilla.
y mentum.
z proceſſus acutus maxillæ inferioris cui muſculi temporalis ſe infigit tendo.
ſt proceſſus ejuſdem maxillæ rotundus, immittens ſe in oſſis petroſi ſinum.

ſimilis

ſimiles; unde & oſſa *Squammoſa* nonnullis. Junguntur ſincipitis oſſibus, ſphenoïdi, maxillæ inferiori, & occipiti. Teguntur omni ex parte muſculo temporali: ut diſcriminis plena res ſit, oſſa hæc lædi cauſa duplex, lædi enim nequeunt inviolato temporali muſculo, at ejus maximus cum cerebro conſenſus. illo laborante, tortura, hiatura, aut contractio oris facile ſequitur; ſymptomata periculoſa. Vidi tamen cui ala molæ ſerierat hunc muſculum, per tranſverſum non ſolùm laceratus uti eſſent (alterutro tantum latere) verùm inſuper ſubjectum os ita fractum fragmenta uti aliquot per vulnus eximerentur, qui tamen non tantum convaluit, ſed, quod admiratione non caret, nullum unquam ne minimum expertus fuit ſymptoma. Accedit altera cauſa, quòd huic oſſi quum articuletur mandibula, metus ſit ne ſuas ei impertiatur affectiones. Hippoc: lib. de Vulner. Cap. tribus de cauſis periculoſa judicat horum oſſium vulnera; ob inferioris maxillæ cum hiſce articulationem; quod auditus organum inſculptum gerant; ob inſigna vaſa quibus temporalis donatus muſculus. Quatuor inſignes oſtendit proceſſus; interna ſuperficie unum, tres exterius; hi in ambitu ita circumpoſiti auditorio meatui, ejus uti videantur ſatellites, neque dubitandum, naturam in horum formatione, ſecuritati dicti meatus intentione


a
b
d
k
h
q
y
x
i
l
f
t
s
i
l


tione quadam prospexisse. Horum prior is est, alteram ossis jugalis qui constituit partem. Hujus radici insignis insculptus sinus, meatui adstans auditorio, cui articulatur inferior maxilla. Articulationi valida satis addita ligamenta, quibus laxatis (quod facile fit ob pituitæ hoc loco, copiam) in oris hiaturam, nec rarò spontaneam, incidit homo. Secundus hinc oppositus, altera auditorij meatus parte processus. Latus hic, sed brevis ac obtusior, basin cranij versus extensus. Hic μαστοειδὴς, à vaccini uberis similitudine dictus fuit Græcis, mamillarem dixeris. Primarius hujus usus, ut musculorum capitis motui dicatorum inserviat insertioni, quos mastoïdeos ab hoc processu vocant neoterici. prodeunt à sterno & claviculis, ac obliquo per collum ductu hæc petunt insertionis loca, caput inclinantes, si simul agant; si eorum alteruter, idem leviter circumagit. Ab horum insertione non procul, conspicuus se ostendit nervus, monens chirurgum ne temere scalpello in affectibus hic incidentibus utatur. Non desunt maxumi Anatomici, alium hujus processus qui adstruunt usum, intus eï esse cavitatem in auditorium perviam meatum, dicentes, sicque ad auditum hos facere processus autumant quod ipsum conspicere hactenus mihi non datum. Processuum tertius infrà meatum exugit audito-

rium, prope maſtoïdeum, deorſum ſe extendens oblongi ſtyli in modum, os hyoides verſus. huic græci anatomici figuræ reſpectu varia indidere nomina. βελονοειδῆν vocitantes, ſagittalem ac ſi dicas; γραφοειδῆ, στυλοειδῆ à calami ſcriptorij, qui veteribus in uſu, ſimilitudine. Iiſdem, πλῆκτρον, Latinis calcar capitis. Acutis hiſce proceſſibus ſe adnectunt muſculi laterales oſſis hyoïdei petentes partes (etiam duo inferioris maxillæ muſculi in mentum deſinentes;) quorum ope os illud movetur non ſolum, verum inſuper ſuſpenſum detinetur ne inſtabile fluctuaret in palato; & cum eo lingua, cui baſis ac fundamenti loco hoc os conceſſum: hinc porrò elicere eſt cauſam ſymptomatis, quod familiariter eos ex tonſillis tumidis qui laborant, adfligere ſolet. hi namque, quoties deglutiunt, moleſtum percipiunt circa radicem aurium dolorem, preſſis uti videtur dictis muſculis, ſicque partium continuatione in conſenſum tracto hoc loco. Quartus quem huic oſſi adſcripſi proceſſus, totus intra cranium latet, nec niſi calvâ ablatâ conſpici integrè poteſt. hic is, cui auditorius meatus, ipſumque inſuper auditus inſculptum organum. Exſerit autem ſe ab exortu ductu obliquo, petens eam oſſis cuneiformis partem, quæ Anatomicis vocatam ſellam conſtituit equinam. Auditorius meatus πόρος ἀκουστικὸς, velut rectus fiſtuloſus ductus, aquæ


ductum

ductum dixeris, initio conspicuum se præbet, amplectitur eum auricula, quæ aërem ei velut haustâ infundit manu; fluit is absque impedimento rectà, donec membranulæ occurrat, quam tympano comparant Anatomici. Hæc disterminat & velut interstitio existit inter jam dictum auditorium meatum, ac quod reliquum est organi auditorij. Membranula est sicca, tenera, subviridi tincta colore, à cujus forma & nativa beneque constituta temperie ac conformatione, pendere vim inter sonos diiudicandi, dicemus suo tempore. hæc ab aëre per dictum meatum se infundente (quod subinde magno fit impetu) ne evertatur aut rumpatur, tria ejus superficiei interiori addidit ossicula sagax natura, quæ *Malleo*, *Incudi*, *Stapedi* comparare solent.

a Malleus.
b Incus.
c Stapes.
d Tria hæc auditus ossicula sibi invicem articulata.



A. Initium Auditorij meatus.
B Circulus limbo prominens, cui alligatur Tympani membrana.
C Cavernulæ, ibi conſpicuæ ubi Tympanum deſinit.
D Foramen in proceſſu quarto oſſis Petroſi, per quod ingreditur Auditorius nervus.




Haud aliter enim fulciunt firmantque tympani membranam, ac inductus nervus inſtrumenti bellici corium. de hiſce id obſervavit Fallopius, eam habere à prima conformatione magnitudinem, quæ in majorem non accreſcat molem. Obſervavi in capite bubulo frequenter hiſce tribus oſſiculis ſe iungere quartum ſeſamo ſimile, ſed non niſi in annoſis id vidi. Illis unâ cum tympano ablatis, plures ſe offerunt cavernulæ, in quas deſinens audi-

auditorius nervus, iis tympanoque affundit animales spiritus, puros, limpidos, ac elaboratos: quibus se satagens miscere qui per tympani poros ingressus fuit aer, illis se moventibus, ita utrimque verberatur tympani membrana, fitque auditus. Ita ut jam octo habeamus temporum ossa, si duobus petrosis, malleum, incudem, stapedem utrimque jungamus. Nono ac decimo loco duo illa arcuata se exhibent, ab utroque cranij latere unum, quo sublaturi cranium velut ansâ uti solemus, unde & *Ansæ capitis* nonnullis dicuntur. Dicitur & *os Paris*, quasi è duobus pariter ossibus compositum. Ita est rectè si perpendere velimus, vix scio num hoc os verè & separatum dici debeat, quum intermediam transversam habeat suturam, distinguentem illud in duas partes; unam conferente processu primo petrosi ossis jam descripto, alteram ossa genarum quæ extimum fossæ ocularis constituunt angulum. Sed quoniam unanimi consensu tam ab antiquis quam neotericis in ossium cranij numerum referri scio, ne innovandi studio teneri videar describam. Dicitur Græcis Συγῶμα, & eodem respectu *os Iugale* (non Jugulare, uti imperitè nonnulli, ut quod clavicula est) Anatomicis Græcis ac Latinis, aut quod ζυγὸν seu iugum eleganter referat, aut ab usu, à jungendo, jungit namque, idque firmiter ac validè, posterioris

partis cranij ossa cum anterioribus. Non subscribo iis qui hoc os faciei ossibus addi volunt, nam is per suturam solummodò continuum quum sit, temporum ossibus continuatum cernitur. Singularia præstat commoda hoc os, nam præter jam dictum, unde ei nomen etiam oculos non inefficaciter munit; primarius verò ejus usus, munimento ac propugnaculo uti sit nobilissimo temporalis musculi tendini; Is namque in acuminatum inferioris maxillæ se infigit processum, cavitate illa quam sub se os hoc ostendit, hac ratione ab externis violentiis securus atque immunis. Argumento certo, magnam esse hujus musculi ejusque tendinis dignitatem ac necessitatem, quum de eo adeò fuerit sollicita natura. Postremum, undecimum temporum os, unicum est & pari destitutum. hoc ὑοειδὲς per crasin, quasi ὑψιλοειδὲς. ita namque vocat Ruffus onomasiæ lib. 1. cap. 24. quod ypsilon græcorum figura referat. eodem respectu etiam lambdoides vocatur à Theophilo lib. 3. cap. 20.

a Os Hyoides partem ostendens latiorem excavatam, cui linguæ radix innititur.
b Idem os, oppositam exteriorem partem exhibens.
c.c.c.c. Processus ab Hyoide utrimque emergentes styliformes ossis Petrosi processus petentes.

Ruffus



Ruffus etiam παρεστάτων appellat, causam dans l. 1. c. 24. quod tonsillis adstet. Scriptores latini *Os linguæ*, *Os morsus Adami* linguæ namque substratum fuit, hicque primarius ejus usus, ut fulciret nobile illud organum; latiori namque ejus parti innitens lingua, sese firmat quoties irruentem per laryngem aërem excipiens, articulatè verba format. inde utrimque unum promens processum, quibus se portiones jungunt cartilagineæ: illis petit acuminatum quem stylo comparant petrosi ossis processum. Hæcque causa, quur temporum ossibus à me adscribatur, nam tonsillis inflammatis, linguamqne prementibus, difficilis redditur deglutitio, tumque temporibns dolent ægri; quod ipsum in examine styliformis processus monui. Usus ejus linguam fulcire; laryngem defendere; inservire denique insertioni eorum, qui ab hoc osse hyoideorum accepere nomen musculorum. Præter

ter hoc os, cum inferiore maxilla, nescio an reperire sit quod per se, idque voluntario agitetur motu, reliquis cum universo se moventibus capite.

Cap. IX.

Superioris maxillæ ossa referens.

TErtiam cranij partem superiori adscripsi maxillæ. Ita voco anteriorem capitis partem quæ inter frontem ac os media, majorem faciei constituit partem. Hæc in homine tota immobilis. Hanc dico majorem faciei constituere partem, nam Faciem (Vultum alij) dicunt scriptores, universam anteriorem visibilem capitis partem, in qua frons, oculi, nares, genæ, labia, os, mentum, cum inferiore maxilla. Frons jam descripta, mandibula peculiarem sibi vendicat cranij partem. Huic ossa tribuo viginti novem adnumeratis sedecim dentibus. Inter quæ primò se offerunt duo illa summitatem seu initium narium quæ constituunt. Etenim tribus constat partibus nasus, carneâ, cartilagineâ osseâ. Ossicula hæc, unicuique satis obvia, distinguuntur transversâ suturâ ab osse frontis, rectâ (quæ sæpe nil nisi harmonia) inter se. Hæc oculis interposita, ne monoculis

culus existeret homo Ac ne nimis à se invicem distarent nobilissima hæc organa, angusta facta hæc ossicula. Quam rem tanti facit Philosophus, ut Problem. sect. 10. 17. hinc argumentum desumat probandi, quod inter cuncta animantia naturali solertiâ maxumè excellat homo. quò etenim minor inter oculos distantia, eo magis rectilinei visorij axes minoremque concurrunt, efficiunt angulum, eò autem efficaciorem existere visum, facile probare est opticis. Videatur etiam hanc ad rem Arist. 1. Hist. Anim. cap. 11. & 2. de partib: Animal: cap. 10. Visus itaque organum geminum faciunt hæc narium ossiculā, ut idem visui quod reliquis tribueretur sensuum instrumentis, sunt duæ aures, nares bifidæ, uti & lingua ab intermedia lineâ. Quin pene omnia in corpore gemina, cerebrū in duas divisum partes, nervi, venâ arteriæ per paria incedūt, thorax à mediastini mēbranis in duo dividitur latera, eodem pacto abdomen à lineâ albâ Anatomicis vocata. Usus horum ossiculorum, fulcire partes nasi cartilagineas, hocque efficere, nares uti perpetuò pateant, idque ne unquam aëri (absque quo ne momemto temporis superstes vita esse potest) in pulmonem ac cerebrum denegetur aditus. Respirationem faciunt duplicem Scriptores, naturalem, non naturalem. Hanc dicentes, quâ aperto ore trahitur aër: illam, quâ ore clauso,

 pernares.


pernares. Nam hac viâ tracto varias remoras, varia injicit impedimenta natura ut ea ratione plenius præparetur, neve crudus aut alienâ tactus qualitate, nobilissima offendat viscera. Per nares ductus, ossis frontis cavitati primo se infundit. Dein iterum naribus, ex ijs per angusta ossis colatorij foraminula, cerebrum, per descendenti anarium foramina rimam laryngis, eaque mediante pulmonem versus. Tertium cum quarto, non majora jam dictis, illa sunt, majoribus quæ continentur oculorum angulis. Insigne in his providæ ac sagacis naturæ artificium, rima nimirum quâ mediante oculis contenta superflua per nares se effundunt. quotidianus id testatur usus non solum excrementa aquosa, sed & solida oculis inhærentia, puta pulvisculos, sordes, muscas valida emunctione per nares prodire. Transferuntur autem per hasce horum ossiculorum fistulas, quarum initijs exiles appositæ carunculæ, collectioni dictarum sordium dicatæ quibus ab acri aut maligno catarrho consumtis, aut, earum retentrice vi læsa, videmus oriri lachrymalem illam fistulam quam αἰγίλωπα græci vocant. Familiaris hic oculis affectus, cujus eleganter meminit Celsus lib. 7 cap. 7. dicens: *Etiam in angulo qui naribus propior est, ex aliquo vitio quasi per via fistula aperitur, per quam pituita assiduè destillat, αἰγίλωπα Græci vocant; idque assiduè malè habet oculum, nonnun-*

nonnunquam etiam exeso osse, usque ad nares penetrat; idque interdum naturam carcinomatis habet. Modum curandi hunc affectum, ibidem tradit Celsus. Galenus 10 de Vsib: part. cap. 11 scribit,se non semel observasse,medicamenta ocularia infusa oculis,per nares prodijsse. Illa porrò quam diximus fistulosis hisce ductubus adstare glandulam, lachrymarum in nobis author existit; sive eæ voluntarii,provocatæ, sive coactæ fuerint. Quintum cum sexto illa statuo, potissimam quæ superioris manillæ majoremque constituunt partem, *Malarum ossa* Anotomicis vocata,quarum partes eminentes,genæ sunt, quibus evidens cum genibus consensus,ut non desint qui ab orbicularibus genuum ossibus, genis dum in utero est embryo adjacentibus, fingi fossas oculares velint. Superius hoc frontis ossi jungitur, inferius quæ palatum constituunt,cum septimo& octavo superioris maxillæ ossibus parte dextrâ cum nasi ossiculis, tum & sibi invicem per conspicuam futuram; sinistra, ossicula jam tertio quartoque loco descripta attingunt. Tria ostendunt hæc ossa foramina, duo parte anteriore, statim infra oculos, per quæ portio tertij paris nervorum se effert,petens cutem faciei, superioris labri, nasique musculos. Tertium unicum, pari seu conjuge carens, conspicuum ea palati parte cui incisorij inhærent dentes, à palato in narium desinens amplitudinem.


Oftendunt etiam fingula infignem cavitatem, eâ fui parte, quâ offa jugalia ab hifce exfurgunt, infixofque fibi oftendunt molares dentes. Hæ ad vocem quopacto aliquid conferant (quod nonnullos velle video) vix video; mihi ad majorem horum offium levitatem hic infculptæ videntur, ne fi folidum hic effet os, nimis ponderosè caput fpinæ incumberet.

a *Pars offis malæ, infixos oftendens molares, faciem refpiciens.*

b *Idem inverfum, feu oris refpiciens capacitatem, exhibens cavitatem jam defcriptam.*



Neque alia videtur capacium illorum foraminum, pubis ossibus insculporum causa aut ratio; nec quoque alia, quur cubitorum tibiarumque ossa, à se invicem spatio vacuo distarent. Hæc ossa palatum constituunt; quâ parte.



a *Os occipitis.*
b *Processus stylo comparatus in osse Petroso, quem magis perspicuè exprimit figura duorum craniorum ad finem cap. 7.*
c *Foraminulæ sive porri ossis palati.*
d *Os Iugale.*
e *Suturula circumscribens dentes incisorios.*

plurimis exilibus foraminulis aut poris dixeris, pertusa conspiciuntur, per quæ capitis pituita foraminum ossis cuneiformis ope, quæ defluxit, eò transcolat in oris capacitatem, sicuti per colatorij foraminula in nares. Est namque consueta naturæ expurgandi cerebrum ratio, per palatum. Hæc causa, adeò frequenter palati ossa uti putredine ac carie tangantur, in ijs qui pituitosi admodum, accedente potissimum acrimonia aut malignitate, sicuti in ijs, venereâ lue qui infestantur. Eidem labi etiam nares ob eandem obnoxiæ causam. Hinc est, quod Galenus moneat comment. in Aphor. 38 lib. 6. cancros palati ustos aut sectos, ut plurimum insanabiles reddi. Hisce ossibus, sedecim superiores fixi inhærent dentes, de quibus paulo post sumus acturi. Septimo ac octavo loco ea veniunt, quæ ad finem palati per transversam, sive suturam, sive harmoniam juncta cernuntur, nisi Sphænoïdi ossi illa tribuere voles, quod mihi secus videtur. No-

no loco statuo os unicum; nimirum, narium interstitium seu diaphragma. Hoc conspici nisi naribus diffractis nequit, incipiens ab osse colatorio, & secundum nasi longitudinem in palati desinens ossa, ubi latiorem ostendit, cui innititur, basin. Duplex huic insculpta rima, squammâ osseâ undique tecta, excurrens per hujus ossis longitudinem, inserviens transfluxui pituitæ in palatum. Hoc os nasum non parum sustinet ac fulcit, sicuti & decimum cum undecimo, quæ utrimque latera hujus diaphragmatis constituunt, excurrentia quoque secundum nasi longitudinem, eumque bifidum reddentia, apertumque servantia, ne unquam desit respirationis materia. Ac ne ab externâ causâ pressus nasus frangeretur, flexilem nec tamen fragilem hisce tribuit consistentiam natura, & quodam modo cartilagineam (nunquam tamen non adventante ætate ossea fiunt) quæ ratione mollitieï, quum humore perpetuò madentia facile putrescant ac consumantur, hæc causa simis naribus non paucos incedentes quod videamus. Duodecimum nobis erit nobile illud σφηνοειδὲς Græcis, *Cuneiforme os* vocatum latinis. Hoc superiori maxillæ idcirco à me adjudicatur, quoniam per hujus foramina se præcipitans cerebri pituita, palatum petit. Hac enim de causâ τὸ κατὰ τὴν ὑπερῴαν ὀστοῦν à Galeno vocitatur. Variantis figuræ respectu πολύμορφον Græcis;

plurima

plurima namque inæqualia ostendit latera ; extantes processus; protuberantes alias, excavatas, cavernosas alias, alias foraminulentas inæqualitates.

Figura ossis Cuneiformis superficie internâ.

A Cavitas sellæ equinæ, sedes Pituitariæ glandulæ.

B.B.B.B.B Foramina unius lateris, per quæ unà cum nervis pituita transit.


C.C. Foramina opticorum nervorum.

D.D. Processus alati, producentes eos qui inferiori maxillæ inserviunt, musculos.

E. Infundibulum impositum equinæ sellæ.

F Glandula pituitaria, in quam Pelvis sive Infundibulum desinit.

Lati-



Latinis *Basillare os*, quod majorem constituat basis cranij partem. *Os inconjugatum.* quod tamen ei cum colatorio, frontis, occipitis, alijsque commune. Vulgò Græcis σφηνοειδὴς, & eodem respicientes Latini *Cuneiforme* vocitant, quoniam cunei in modum ossibus circa basin cranij immissum apparet inter os occipitis dico, sincipitis, ethmoïdes, frontis, petrosa, palati, aliquotque maxillæ superioris ossa. Hæc enim cuncta tangit, imo jam dicta velut unita arcteque juncta detinet. Superficies ei duæ,

interna ac externa. Interna elegantem illum oſtendit ſinum *Sellæ equinæ* quem comparant Anatomici, ἐφίππιον inde vocant Græci. In centro Sphenoïdis hic apparet, adſtantes gerens prominentes angulos. Sinus hic receptaculum præbet pituitariæ glandulæ, hicque ejus uſus, illa velut ſpongia imbibendo deſtillantem è cerebro pituitam, quam infundibuli ope accepit, in oculos partim, partim palatum exprimit, idque per decem illa (utrimque quinque ſunt) quæ huic oſſi inſculpta apparent foramina, ut eâ ratione ab eâ liberetur princeps viſcus. Exterior ſuperficies quatuor exhibet extenſos proceſſus intermediaſque duas cavitates, quos πτερυγοειδεῖς Græcè, Alatos Latinè dixeris. Ab hiſce muſculos producit natura, motui maxillæ inferioris inſervientes. Decimotertio loco recenſendum venit nobile illud oſſiculum, per quod ſuperflua ſua propellit cerebrum, deponitque in nares, uti cuneïformis ope in palatum. Hujus cauſâ fronti inſculptum foramen ſedem præbiturum huic oſſi idq; eo loco ubi ab alterâ parte naſus ei jungitur. nam per hoc os & reſpirat, & muccum abjicit cerebrum, Hinc *Colatorium* vocari ſolet vulgo Anatomicis, Græcis ἠθμοειδὲς, *Cribriforme* Latinis, quod cribri inſtar pluribus exilibus pertuſum ſit foraminulis Etiam *Os criſta tum* ab acuto & criſtæ gallinaceæ in modum, ab hoc oſſe exſurgente proceſſu, quem vo-

meri

meri alii comparant. Conſpicuus hic parte hujus oſſis interna; ideò factus, ei uti utrimque adjacentes imò affixi mamillares vocati proceſſus, firmam haberent ſtationem, neq; loco facile moverentur. Superficieï oppoſitæ jungit ſe narium diaphragma, de quo paulo ante. Admiranda in hujus exigui oſſiculi, ſummi Dei ſapientiâ, quum etenim duos ei impoſuiſſet eoſque ſingulares uſus, ut nempe tam aëri quàm mucco præberet tranſitum, ita illud effinxit, neutrum uti ἀτρέως aut magno impetu fieri poſſit. Si namque aëri violenter pateret tranſitus, neque ſatis præparatus, verùm crudus, nec raro aliena imbutus qualitate, irrueret, offenderetque non parum, nobilem illam animalitatis officinam. cunctatrix natura plures eï injecit remoras, ſicuti in cavitate oſſis frontis ante expoſitum. Superflua cerebri per eadem hæc oſſiculi hujus foraminula expellenda, niſi & illa eorum exilitate ac anguſtiâ impedirentur, non raro tanto ruerent in nares, perque deſcendentia earum foramina in oris capacitatem impetu, ſuffocationis uti periculum crearent, repletâ nempe laryngis rimâ. Docent id ſuffocantes catarrhi, laxatis nimirum oſſis colatorij foraminulis, ſimulque deglutionis muſculis in officio ſegneſcentibus, ſicuti in apoplecticis quotidiana idipſum oſtendunt exempla.

Figura exhibens os ἠθμοειδὲς sive Colatorium.

A A. *Interior ossis Frontis superficies, cui immissum Colatorium os.*

B. *Colatorium os.*


C. C. *Exilia quibus os Colatorium pertusum foraminula, quæ cribriformis ossis ei dederunt nomen.*

D. *Processus cristatus cui mamillares adjacent Processus.*

E. *Os Cuneiforme.*

F. *Sella equina vocata Anatomicis in osse Cuneiformi.*

G. *Os Colatorium exemtum, & separatim excusum.*



Ita ſe habent tredecim illa maxillæ ſuperiori à me adſcripta oſſa quibus ſedecim ſi addas palati oſſi

 inſcul-


inſculptos dentes, videbis viginti novem eſſe numero, quod initio hujus capitis dictum. De dentibus, abſolutâ inferiore maxillâ, peculiori agetur capite.

CAP. X

De maxilla inferiore.

Maxillæ inferioris pictura.

A. Maxilla parte externa.
B. Eadem externâ parte, & ſimul Mentum exprimens.
C. C. Anterior maxillæ pars. Mentum.
D. D. Proceſſus acuti, quibus adnati Temporalium muſculorum tendines.
E.E. Proceſſus rotundi, imittentes ſe in ſinus oſſium Peroſorum.
F. Foramen, per quod vaſa ingrediuntur.



Quam-

QUamvis primum natis ex duobus inter se per intermediam harmoniam coagmentatis ossibus constare videatur maxilla, in adultis tamen unicum exhibet os. nec video quidnam commodi naturæ ex maxillæ accedere potuisset duplicitate; fluctuassent ejus ossa, quæ firma esse oportuit,ut masticationis officium,tum &obturationis oris, ad promovendam naturalem respirationem præstare corpori posset.Hæc ἡ κάτω γνύς, latinis *Mandibula* à mandendo; *Maxilla* etiam,& ad discrimen jam explicatæ, *Inferior* vocitatur. Hæc per se mobilis existit, quod cum Hyoide peculiare accepit, reliquis cunctis capitis ossibus denegatum. Movens se, oris ostendit capacitatem. Dividitur in mentum,ipsum maxillæ corpus,& processus. Mentum γένειον & ὀξύγνυς græcis, anterior lata maxillæ pars est, cui anteriores incisorij infixi dentes è qua pili viris, cum ad pubertatis accedunt annos erumpunt: Arist. 7. Hist Anim. cap.1. & in quo ficosi se ostendere subinde solent tumores, de quibus Gal. 5. κατὰ τόπους. Huic utrimque adstat foramen, per quod egrediuntur nervi, labrum inferius petentes quod mentum ac processus interjacet, ipsum maxillæ vocatur corpus, reliqui cui inseruntur dentes. Processus ostendit quatuor,duos utrimque; quorum alter acuminatus, rotundior alter. Posteriore processu maxilla capiti articulatur.

tur. Iungit ſe namque nodoſum illud orbiculare caput in ſinum, hujus cauſâ petroſo inſculptum oſſi, ad radicem jugalis oſſis, ubi ſtylo comparatus ſe extollit proceſſus. Huic articulationi validum circum poſitum ligamentum, diſlocationi maxillæ proſpiciens. Hoc ab influente catarrho nimis emollito, in laxationem maxillæ (eamque, ſpontaneam) interdum incidit homo, quam ſequatur oris hiatura neceſſe eſt. Hæc porro articulatio, periculoſa efficit oſſis petroſi vulnera; difficulter namque glutinantur, ob multijugum maxillæ motum. Accedit & altera cauſa, conjunctio nimirum tendinis muſculi temporalis, cum altero maxillæ proceſſu acuminato; hunc namque eum in finem fecit natura. Fit illa junctio ſub oſſi jugali, ne lævi de cauſa tendini huic adveniat detrimentum, illud namque periculoſum valde, uti in oſſis lugalis examine dictum. Tendine hoc convulſionem patiente, adeo validè ſurſum trahitur maxilla, dentibus uti præhenſam ægri inſcij linguam valde lædant ſubinde. Ad horum porrò proceſſuum radicem, parte interna dico, conſpiciuntur ampla ſatis & conſpicua foramina, aditum præbētia nervo, venæ arteriæque inferiorum dentium radices petentibus.

CAP. XI.

De Dentibus.

TRactatui de cranij ossibus finem imponent dentes superiori inferiorique maxillæ communes, licet non sibi per omnia similes. Horum primarium munus, arida ingesta alimenta minutè concidere, sicque linguæ ad deglutiendum præbere. Hoc edere est, indeque dentibus nomen. *Dens* enim quasi edens. etiam Græcis ὀδὼν, quasi ἔδων, ἔδω est comedo. Hinc ænigmatici illi & comparativi loquendi modi, à dentibus desumti. ita vinum, dentatum, edentulum dicunt, pro mordicante aut ignavo, dentata charta, pro maledica. Ita stupidum ac ignavum si designent, non inesse ei dentale dicunt. Dentium hunc usum ruminantia satis comprobant, quibus idcirco illud impositum, superioribus dentibus quod careant. Ostendunt & suo idem exemplo qui frigidiore præditi stomacho cibos vix dentibus tactos deglutiunt. Ostendunt edentuli, gravari à cibo sumto se sentientes. Sunt dentes numero 32. in singulis maxillis sedecim. Hi distribui solent in Incisorios, Caninos, Molares, Serotinos. *Incisorij* communiter octo; utrimque quatuor. quod oblatum cibum omnium

primi incidant ac comminuant, ſi dicti; indeque τομικοὶ Græcis. iiſdem γελάσινοι, *Riſorij*, quòd ridentibus nobis, diductis ſe oſtendant labris. à loco, & ordine, *Primores*. à numero, *Quaterni* Obſervatum tamen à me non ſemel, non niſi duos eſſe in utraq; maxilla, ſed qui tum multò latiores. Hi peculiari ſepti ſuturulâ. an idcirco primi decidunt? primi namque erumpunt. Hi ad pronuntiationem efficaciter conferunt, laborioſas namque litteras editura lingua (quales T.R.L.) hiſce ſe adfigit dentibus, inde ἰσχνολοὶ & ἀγκυλόγλωσσοι. Eleganter, ſuo more hac de re *Plinius lib. 7. cap. 16. Nec cibo tantum & alimentis neceſſarij, quippe vocis ſermoniſque rigimen primores tenent, concentu quodam excipientes ictum linguæ ſeriemque structuræ, atque magnitudine mutilantes molienteſve, aut hebetantes verba, & cum defluxere, explanationem omnem adimentes.* Qui hos ſequuntur *Canini*, quod acumine canum dentibus ſimiles, quatuor hi, in ſingulis maxillis bini, inciſorios claudentes. qui etiam *Mordentes*, *Fractorij*, & à poſitu *Collaterales*: Etiam *Columellares*, dictante id experientia, hoſce dolentes, frequentius ac efficacius columellam in conſenſum trahere. Qui ſuperiori inhærent maxillæ duo, præ reliquis inſigne obtinent cum oculis conſenſum. Obſervatum à me ſæpius, ægros palpebrarum pati palpitationem, hi ſi doleant, cauſam puto, quod à motorijs oculorum nervis, ramuli

radici-

radicibus horum inserti prodeant. Celso hæc res nota, ita notante *lib. 7. cap 12.* *Dens hærens cum summo periculo evellitur, ac nonnunquam maxilla loco movetur idque etiam majore periculo in superioribus dentibus fit, quia potest tempora oculosve concutere.* Ordine tertio *Molares* veniunt, μύλοι Græcis, *Clavales*, ac si dicas, quod ita ossibus impacti. an non & cæteri? ita quidem, sed non eodẽ modo: illi præter unicam non acceperint radicem, hisce binæ ternæve contigere. In singulis maxillis hi numero octo, utrimque quatuor. Latinis hi *Paxillares Maxillares, Mensales*, superficiem namq; latam ac planam mẽsæ non absimilem habent, quæque inde τράπεζα Ruffo. Hi ab alijs, præter situm, differunt figura, usu, tum & radicum numero. Figura illis plana, lataque secus ac jam dictis: usus; ut velut molendo minutè comminuant quæ ruditer ab aliis confracta, ita molestiæ minus ventriculo exhibitura. est namque molitio hæc, præparationi s loco ei quæ sequetur in concoctione prima chylosi. quam ad rem insignem videre est apud Gal locum 3. *de Natur. facult. cap.* 7. Quartum ordinem *Serotini* complent, numero quatuor, duo in superiore, in maxilla inferiore totidem. Postremi hi loco, postremi tempore. quod namque post alios omnes erumpant, inde Serotini dicti, & *dentes Ætatem complentes*; cea namq; se ostendere solent ætate, qua auctrix falu-


tas feriari assuevit. communiter namque non ante pubertatis annos emergunt, tum enim genituram excernere homo incipiens, calore nativo præter solitum ferociente ac ebulliente, partes etiam firmiores alacrioresq; reddite expultricem suam vim exserunt alacrius. Eo tempore pili in mento, axillis, pectore erumpunt, hircire vox incipit. Notavit lib. de Princip. Hippocrat, in quarto septenario hos nonnullis erumpere ab anno videlicet XXXII ad XXXIV· Aristot. 2. Hist. Anim. cap 4 etiam. LXXX. ætatis anno hos nonnullis appavisse author est. Vidi unum ac alterum, qui posteriore oris parte aliquamdiu quum doluissent dolorique placando varia remedia frustra fuissent adhibita, erupisse tandem serotinos, qui ideo *Genuini* scriptoribus, quod hisce apparentibus ad genuinam jam pervenerit ætatem homo. Etiam *Sapientiæ dentes*, σωφρονιστῆρες Græcis, eâ quod se ostendant ætate, quâ relictis nucibus, sapere homo debeat. Brevissimas hi accepere radices, nam maxillæ (potissimum superioris) is locus, profundam radicem non patitur. Ab hisce porro dentibus loquendi modum in eos sumsere veteres, qui maledicâ linguâ, nomini ac famæ proximi insidiantur (nam eâ ætatis parte erumpunt quâ in hac vitia erumpentes non pauci fœdo huic vitio fræna laxare solent); tales namque, Dente genuino rodere dicebant. Hallucinari

porro

porrò illos sciendum est, qui dentium eruptionem cernentes, illud hisce ossibus peculiare arbitrantur, postea quod formentur, quum si primum nati maxillam diffringas, dentes intrâ duas ejus tabulas hærentes videre possis. * Ne quis tamen ob id dicat, ex maxillis essentiale sumere initium dentes, locale sumunt tantum. Radicibus dentium sua velut additamenta (appendices dici possent) è quibus qui decidit dens repullulat denuo. Quod à nonnullis disceptatur, num dentes quaternis innixi radicibus, reperiantur unquam, autopsiâ decidere facile. sunt mihi ejusscemodi dentes, verum quod raro inveniantur, non diffiteor.

*Vide maxillam infantilem, pag. 41.

A. Molaris quaternis radicibus.
B. Dentes Varij.
C Appendices; quæ sunt loco radicum dentibus.




Hæc ossium cranij ratio, quibus describendis prolixior si fuerim, facit id eorum nobilitas ac singularis usus. Nec abs re, galeam namque illam constituunt, viscerum nobilissimo quam circumposuit natura, nominis sui dignitatem homini quod tribuit. Ea quia plura, operæ pretium me facturum arbitratus sum, si priusquam ad secundam sceleti pergamus partem, eadem verum succinctè lectori proponamus. Vnum supra sexaginta adjudicavi cranio ossa, eaque partium quatuor. quæ quotquot sunt symphysi juncta apparent, duobus exceptis, inferiori dico maxilla & hyoïde osse. Junguntur autem aut mediante suturâ, gomphosi, aut harmoniâ.

Suturas exhibent figur: 31. 38. 49.

Gomphosin, dentes, uti figur. pag. 49. Harmoniam eadem figura, exprimens palati, narium ossa. Quin & naturæ insuetæ aut hactenus non notatæ suturæ uti videre est figur: pag: 31. tum & 49. litter: g. g.

Calvæ ossa adjudico. 4. Frontis: duo Sincipitis, cum Occipitis. Frontis, os hæc exhibet. figura. A.

per




Per hoc excurrentem suturam sagittalem fig. B. pag. 31. Hujus insignem ad radicem narium cavitatem cc. figur: pag: 38 Huic immissum ethmoïdes os A. A. figur: pag: 47.

Ossium sincipitis picturam proponit Fig pag: 31 Etiam b. Figur. pag: 4?.

Ossium sincipitis picturam proponit, hujus quæ sequitur Figuræ litter: B.

Ean-



Eandem videre eſt figur: pag: 31. tum & figur. 49. b. In hiſce locum qui βρέγμα græcis c. figur: 31. tum & infantile ſceleton pag: 41.

Occiput dat figur. C. pag. 31. etiam B.B. figur: 47. Conſpicuè admodum figur: c. pag: 49. Vide etiam a. pag: 65.

Petroſa temporum oſtendit ſequens fig. C.

Eadem

Eandem proponit. d. 49. C. 51. Horum Mastoïdeos processus i. 49. Stylo comparatum B. Figur: pag. 84.

Processus cui Auditus Organum insculptum. C.C. pag: 47. Auditorium meatum, Tympanum, Cavernulas auditus pag: 55. Officula, Malleo. Incudi, Stapedi compara pag: 54.

Ossa Iugalia pag: 29 · D. pag. 47. e. 49 D. 51. d. d. 65.

Os Hyoides pag: 58.

Superioris maxillæ, Officula narium. C.C. pag. d. d. 38. O. 49. E. pag: 84.

Eaquæ in majoribus oculorum angulis p. 49. quæ in narium interioribus D. pag: 84.

Narium interstitium e. pag: 39. F. pag. 85.

Malarum D. D. pag. 84. q. 49. a. b. 64.


Ad palati finem transversa r. t. 49.


Cuneiforme os E. 47; u 49. potissimum verò pag. 69.

Colatorium AB. AB. pag. 47. tum & Figur. pag: 73.

Dentes, Figur. pag. 84. etiam pag. 49.

Maxillam Inferiorem. pag. 74.


A
B
C
D
E



SECUNDA SCELETI PARS.


CAP. I.

Spinam, ejusque exhibens ossa.

SEcundam sceleti partem *Dorsum* constituit; ita voco cathenatam illam orbicularium mobiliumque ossium compagem, à capite deorsum (unde dorsi vox nata) ad coccygis usque extremum excurrentem. Hæc etiam *Spina* & *Dorsi spena* (ῥάχις Græcis) ab acuminatis & spinarum in modum exstantibus processibus, quibus hæc ossa armata, Scriptoribus. Qui eam sedem statuunt, fundamentum, originem, ac principium omnium ossium. Nimirum natura artificum navem exstruentium in modum, omnium primo spinam velut carinam ponit, cui dein costas ceteraque corporis iungit ossa, sicque paulatim integrum facit hominem osseum. Non tamen, ex unico continuato, verum x x x i v separatis, certâ tamen syntaxi junctis ossibus, spinam formavit Deus. hæc peculiari voce, à multijugo & velut nunquam ces-

ſante motu, Græcis σπόνδυλοι. *Vertebræ* vocantur Latinis. Etenim ab hiſce corporis pendet motus, imò agilitas; quum quocunque modo ſe movente corpore etiam oſſa hæc ſe motitent, neceſſe ſit. Vt hæc de cauſa exactam ſpinæ notitiam medico perquam neceſſariam lib. de Articul. non abs remoneat Hippocrat. Ad pleniorem morborum cognitionem, eam neceſſariam ibidem aſſerens. quæ tamen ne loco mota (præſertim ob inæquales inordinatóſque quos hominum interdum peragere motus cernimus) contentam medullam ſpinalem, ab eaque prodeuntes nervos, premerent ac offenderent, incredibili artificio à ſapientiſſimo Nomine ſibi invicem articulata. Singulis etenim vertebris, eâ quâ corpora ſua oſtendunt parte, peculiarem interjecit ſubſtantiam albicantem, viſcidam quidem ac in modum cartilaginis lubricam, tenacem tamen firmamque. ligamentum cartilagineum non abs re vocaveris. quâ & inter ſe firmiter nectuntur ſpinæ oſſa, & eorum temperatur ſiccitas, quamque ob multiplicem facile incurrent motum, impeditur aſperitas. Hos ſequens exprimit Figura.


A.Ver-


A
A
A
A
D
D
D
A
B
A
B
A
B
A
D
D
D

A Vertebrarum corpora.
B. Cartilagines vertebrarum corporibus interjectæ.
C. Processus ascendentes descendentesque.
D. Processus spinosi.

Præter hoc, lateribus horum ossium ascendentes descendentesque dedit processus, sein vicem mutuo per gynglymon excipientes, quæ omnium fidissima articulationis ratio. Horum ne interior superficies præ mòtu attrituque siccaretur, ac squallida reddita ad motum ineptas redderet vertebras, lentâ viscidâque tincta est muccilagine, velut unguine. Hac absumtâ, nimiumve siccatâ, uti & jam dictis intermedijs ligamentis induratis, quam tardus, ad motum ineptus, imo silicernius efficiatur homo, decrepiti senes in quibus nunquam cessans caloris actio omnia siccavit, suo ostendunt exemplo Sicut vice versa præ nimio madore, laxatis flaccidisque redditis jam dictis, affectum descripto contrarium subinde spina incurrit, σεῖσιν vocat Hippocrat, qua viminis in modum flecti potest, efficiturque instabile corpus.

A. *Spina cujus sibi invicem connatæ vertebræ.*



Præter eos, quorum ope sibi invicem articulantur vertebræ processus, etiam transversos duos singulæ exserunt, quibus in thorace costæ articulantur, in reliquis eorum adalligantur musculorum tendines ac ligamenta, quos spinæ motui destinavit natura. Post hos unum adhuc, parte sui posteriore acutum, ac in modum spinæ (hæ huic compagi spinæ nomen dederunt) exstantem ostendunt, qui propugnaculo subjectæ existit medullæ, cujus causâ facta dorsi ossa. Etenim tria in vertebris notanda, ipsa earum corpora, processus, foramina. Processus habet eorum major pars septem, duos ascendentes, totidem descendentes, transversos duos, unum spinosum quo singulæ posteriore parte armatæ. Corpora vocamus, majorem partem osseam, qua, mediantibus cartilagineis ligamentis, sibi invicem vertebræ adalligantur. Illa singula, conspicua amplaque ostendunt foramina, quorum tanta capacitas, contentæ medullæ quanta crassities. Cuncta illa foramina sibi invicem juncta illa foramina sibi invicem juncta ac aptata respondent, pariuntque oblongam fistulam, à capite ad crurum usque initium exporrectam, sedem ac domicilium spinalis medullæ indeque emergentium nervorum. Hæc ἱερὰ σῦριγξ, Sacram (hoc est maxumam, longissimam) ac si dixeris, vocitata fuit veteribus. Per hanc ex occipitis osse prodiens descendit sese-

que

que effert argentea illa cathena(ut cum sacro* Scriptore loquamur) à quâ totius pendet corporis motus ac sensus, & cujus securitati osseum hocce domicilium Dorsi spinam dico, effinxit dicavitque Deus omnipotens. E vertebrarum etenim lateribus emergere videas aliquot nervorum conjugia, quorum ope animalitas universo affunditur corpori. Hisce peculiaria foramina vertebris non insculpta, verum ubi ascendentes descentesque conspiciuntur processus, ostendunt singulæ vertebræ semilunatos sinus; qui bini(injectis subjectisque vertebris unum singulis conferentibus) sibi invicem juncti, foramina effingunt, per quæ & nervis exitus, & venis arterijsque ad nutritionem vivificationemque medullæ patet aditus. Hisce obturatis, attophiam, incurrit medulla; illis aut ob vertebras, loco motas, compressis aut aliâ de causâ obstructis, earum ad quas tendunt partium paralysis.

* Ecclesiast. cap. 12.


Spinam explicaturus in quinque eam seco partes. Prior Collum seu cervicem continebit, Thoracem secunda; Lumbos tertia, quarta os Sacrum; Coccygem ultima.

Collum à colendo sic Latinis dictum, cujus postica pars αὐχὴν & τράχηλος Græcis Latinis Cervix, ea corporis pars est, quæ inter caput & pectus media, diffidere facit à naribus ac ore ventriculum cũ pulmone; Ita moras nectẽs cunctatrix natura, felicius

aërem pulmoni, cibum ventriculo præparat. Vertebras hæc habet ſeptem, quarum prima capiti immediatè arctéque juncta, ἐπιστροφεὺς Græcis, qnod unà cum capite circumagatur, ad ejuſque ſe accommodet morudum. Habet namque ſinus duos tuberculis totidem foramini amplo occipitis oſſis adpoſitis, ſejungentes, ut ea ratione ſpinalis medullæ principio tutus pateret in ſpinam aditus quæ ne loco facile cederet, (quod cum certâ conjunctum foret pernicie) valido, hanc articulationem vinculo munivit natura. Capacior hæc ideo vertebra, ut aditum præbeat dentiformi ſequentis vertebræ proceſſui, inſigni ſane artificio. Illa ὀδοὺς, *Dens* & *Dentiformis vertebra* dicitur Anatomicis, à peculiari & huic tantum vertebræ proprio proceſſu, dentem exſertum figurâ referente. emergit hic è dictæ vertebræ corpore, indeque erectus ſurſum tendit, ſeſeque in jam deſcriptæ inſinuat vertebræ capacitatem, imo eam ſuperat.

A. *Vertebræ ſecundæ.*
B. *Proceßus Dentiformis.*
C *Articulatio vertebræ ſecundæ cum prima, mediante proceſſu dentiformi.*
D. *Ligumentum duas haſce vertebras ſibi invicem nectens.*

Apice



Apice ſuo occipitis oſſi ſe jungens, eïque firmi ac cartilagineï ligamenti ope firmiter nexa. Hic proceſſus, anatomicis Græcis figuræ reſpectu etiam κωνοειδὴς & πυρηνοειδὴς dicitur, ejus namque ſummitas caput tangens ita circularibus illud agitatur motibus, etiam quieſcente collo. Quæ hanc ſequuntur quatuor, cum ceteris vertebris conveniunt, niſi ſpinoſos proceſſus, ad muſculorum inſertionem, bifidos quod habeant, habent & tranſverſos conſpicuis pertuſos foraminibus, uti & reliquæ tranſitum præbentibus arterijs nerviſque cerviſque cervicalibus qui à jugulo caput petunt. Anne horum vaſorum ſive ſectione, ſive uſtione, ſteriles redditi Scythæ?

Etiam illud in cervicalibus notandum vertebris, plana, nec uti in alijs, protuberantia earum facta esse corpora, idque singulari providæ naturæ sagacitate, ne ijs incumbens œsophagus cum aspera arteria, comprimerentur, sicqne aëris cibique impediretur transfluxus. Cujus rei exemplum harum præbet dislocatio, suffocationis periculum secum trahens, notante id lib. de Articul. & aph. 35. 4. Hippocrate.

Quæ cervicalium septima, ἄτλας Græcis, *Atlantius nodus* Anatomicis dicitur Scriptoribus Atlantis instar molem totius colli unà cum eï imposito quod sustineat capite. Eadem hæc μέγας per excellentiam, Magna dicitur lib. de Inter. Affect: Hippocrati.

Quæ Atlantem sequuntur ordine duodecim, costas eæ excipiunt, cumque ijs unà thoracem efformant. Variat tamen hic subinde numerus aut deficiente (tum quum non nisi xi. utrimque costæ) aut abundante earum una. posterius sæpius accidit: Transversi in hisce processus quos costæ adeunt, duos ostendunt sinus, quibus ad firmiorem nexum duobns se adfigunt locis costæ. nam ab harum constitutione indicium temperiei cordis desumit in Art. Medic. Galenus. latitudinem pectoris, calidi, ejusdem angustiam, frigidi cordis signum statuens. at

vero

vero prout majores minoresve hæ vertebræ, pro eo thoracem augeri arctarive æstimat Etiam hasce respicit vertebras Hipp. dicens 46. aph. libri 6 eos quibus, postquam asthmate tussive aliquamdiu laborarunt, gibbositas in dorso oritur, pubertatis annos non attingere. præcipitante enim se tussis materiâ in hasce vertebras, easque loco suo movens, id efficit, debitè uti amplius non accrescant, eandem labem costis ipsis articulatis adferentes: accrescentibus contrà vitalibus, thorace contentis visceribus, quum locus eorum non respondeat moli, mortis causam hæc res adferat necesse est. Vertebrarum harum corpora quum admodum protuberent, hincque ne ventriculus ijs accumbens durius premeretur metus erat, providè natura Pancreas, molle illud glandulosum corpus, instar pulvinaris interposuit, ne uspiam deessent argumenta extollendi summam Dei providentiam. Illud id hisce addendum vertebris communi quamvis nomine ita cum ceteris vocentur, earum tamen nonnullis peculiaria accepisse nomina, Prima namque ἀσφαλεῖα firmam, solidam ac si dicas, vocatur, huic proxima μασχαλιστὴς, utpote axillis vicina, duodecima διαζωστὴρ, a diaphragmate, credo, ei nexo, quod Zonam Scriptoribus vocari in ejus dicturi sumus descriptione.

Diazoster lumbales vocatas excipit vertebras,

insignes hæ, & tanto majores magisque reliquis conspicuæ, ceteris quia subjectæ, basis loco existunt. hæ quinque numero. Quarum quæ ordine prima, immediatè thoracicarum postremæ juncta, νεφρῖτις peculiariter Grœcis, huic namque renes adacent. Insignia hisce corpora, transversi processus insignes. an ob venæ cavæ ac arteriæ magnæ hoc loco incidentis bifurcationem? Ordine inter has quinta ac postrema ἀσφαλίτης, tutam quasi dicas, vocatur, nam tutam firmamque hæc accepit in sacro osse stationem, quod ob id ὑποσπόνδυλον Græci, uti in ejus historia jam dicturi sumus.


CAP. II.

De osse sacro

SAcrum illud sacræ fistulæ os examinandum se præbet. vertebras hoc aliquot, symphysi sibi invicem adnatas, apparentibus intermediis refert harmonijs, idcirco vertebris à nobis adnumeratur, naturam quamvis illis non habeat similem, utpote os (ita singulari voce vocant Anatomici) immobile, quum à multijuga versione vertebris nomen. pars tamen spinæ est, neque id negari potest, figuram ei gerens similem, medullam

lam continens, nervos per paria emittens. ὑποσπόνδυλος, hoc Græcis, positus respectu. Innititur namque ei velut basi ac fundamento spina universa, qua de causa insignis ei concessa latitudo, cujus respectu, πλατὺ ὀστοῦν, *Os latum*, etiam vocatur. Sunt in sceleto latiora, coxendicum ossa, tribuitur tamen huic id epitheton, respectu reliquæ spinæ, cujus pars existens eam tamen latitudinem evidenter superat. Sum ejus sententiæ, eadem de causa, etiam ἱερὸν *Sacrum os* vocatum. familiare namque id veteribus quæ magnitudine eminent sacra vocare; ita Oceanum ἱερὸν πόντον Græci, ita spinæ fistulam ἱερὰν σύριγγα vocari jam dictum. Non sum tamen nescius hac in parte à me dissentire nonnullos. Sunt qui sacrum vocatum putent, quoniam miraculoso tempore partus, absque ullius musculi ope, dehiscit, transitumque fœtui præbet. At hoc quum fit, violentum est, naturæque actiones ledit aut impedit. Alij ita dictum volunt, quasi exsecrandum. Ita Italorum nonnulli, exsecrari à fœminis eos quibus os hoc solito productius asserunt. Caudatos namque tales vocant, existimantque maritis ejusmodi junctas primâ parturigine pleno mori utero. cujus fides penes authores esto. mihi à coccygis osse, opinionem hanc sumsisse originem, suspicio est. Constat hoc os partibus osseis seu vertebralibus sex. Salomon Albertus sæpius septem se observasse asse-

se asserit, quod & mihi videre contigit, sed rarius.



A. Os sacrum, cui coccyx adhuc adhæret.

1. 2. 3. 4. 5. 6. Sex partes vertebrales, quibus Sacrum os constat.

B. Coccygis os, Sacro nexum.

C. Coccyx separatim.

1. 2. 3. 4. Quatuor e quibus coccyx constat, partes.

Initio suo ultimæ lumbali jungitur vertebræ, parte oppositâ coccygi. Figuram incurvam gerit, exterius gibberum ac protuberans, sinuatum ac velut excavatum intus. ubi glabrum, æquale, nullis asperitatibus aut inæqualitatibus deformatum conspicitur, ut tuto & absque offendiculo hic quiescerent intestinum rectum, urinaria vesica, uterus, illis namq; partibus scaphoïdem hancce stationem dicavit natura. Externâ superficie condylomata exstantia ostendit plura, loca musculorum connexioni inservientia. Conspicua ostendit utraque sui parte foramina, eaque ampla. Hinc namque illi emergunt nervi, quorum aliquot conjuncti, maxumum totius corporis pariunt nervum, per tibiæ posteriora pedes versus se extendentem. Ceterum immobile hoc existit os per se, quod ipsum ejus cum coxendicum ossibus per symphysin mediante synchondrosi conjunctio satis evidenter ostendit, qua de re plura sumus dicturi in ossium coxendicum descriptione.

Cap. III.

De Coccyge.

SAcri ossis extremo jungitur, arcteque per cartilagineum ligamentum nexa hæret, spinæ pars ultima. Appendix hæc velut videtur è quatuor minutis, mollibus, cartilaginosis ossiculis, quibus, figuram sive naturam respicias parum cum reliquis spinæ partibus simile. neque enim mobilia hæc, nec foraminosa aut cava intus, neque medullam spinalem in se habentia, neq; nervos emittentia. additamentum solum spinæ sunt, usum tamen non gregarium neq; contemnendum corpori præstantes, ori uterino dico, ac sphincteri recti intestini musculo. Quatuor horum ossiculorum junctorum simulque consideratorum syntaxis, quia in modum exilis caudæ spinæ adhæret, inde ὄῤῥος & ὀῤῥοπύγιον, *Caudæ os* vocitatur Anatomicæ rei peritis. etiam in brutis caudatis caudam producit ac constituit. Quin & κόκκυξ & *Coccygis os* scriptoribus Latinis, à similitudine uti volunt cum cuculi avis rostro. Hæc, nisi in adultis, osseam vix exhibent duritiem, in junioribus mollia admodum (ossibus tamen cum alijs adscribo Anatomicis, quum subjectum musculi sint.) hancque arbitratus semper fui

causam;

causam, infantibus adeo familiaris quod sit ani procidentia. Etenim sphincter intestini ipsumque rectum intestinum huic ossiculo nexa hærent: Est autem humida corporis puerorum constitutio hincq; fundamentum dictis partibus instabile, accedente potissimum magno ad egerendum conatu. Eadem mihi visa causa, juvenculæ quàm annosæ quod facilius pariant. Etenim os uteri coccygi innititur, cedat itaque ac reflectatur dilatante se utero enixus tempore necesse est: at in annosis os hoc ita induruit, cedere difficulter uti queat. Observavi, nec semel, parturientibus impedimento fuisse si duro solidoque corpori insiderent, pendulæ sunto è gremio obstetricis, ita minus remoræ ac obstaculi inveniet uteri os, reflectente se, viamque fœtui prodeunti parante coccyge: è quâ, hac de causa, nullos prodire nervos certum est.

Notandum in Spinâ.

OBservatione dignum illud in spinâ existimo, quod cum varijs modis ejus vertebræ loco moveri possint, pluresque sint inordinati corporis motus, à quibus spinę imminent dislocationis periculum, omnium tamen maxumo in periculo tunc versatur homo, quum prono capite, incurvó repando ac arcuato dorso, inordinate se movet. Etenim vertebrarum illi, quorum ope per gyngly-

mon sibi invicem hærent firmiterque nexi sunt, processus, eo tempore hiant, attolluntur, seseque erigunt spinosi, ita ut levi de causa tali corporis positu loco suo moveri possit hæc aut illa spinæ pars. Contrà, quum quis ita corpus incurvat anteriora uti promineant occipite calcibus se jungente. Firmantur enim sibi invicem arctissimè dicti processus, clauditurque pertinaciter eorum combinatio, nec aliunde periculum, quàm ut dissiliant solvanturque cartilaginosa ligamenta vertebrarum corpora sibi invicem jungentia.

Porro dislocationum spinæ modos subjungam, ne quit desit. Luxari dicuntur vertebræ, quum è naturali sua sede ac situ dimoventur. Vocatur malú illud græcis ἔκπτωσις definiente Gal. *comm: in Hipp de Fract*: cum os è naturali sua removetur sede citrà fracturam. Duplex namque est, simplex aut composita. Simplex, quum luxationi aliud nihil quàm ossium è sua sede dimotio accidit: Composita, quoties unà cum sedis dimotione, os luxatum aut frangitur, aut denudatur, aut ulcere corripitur Luxatio, cui aliud nihil accedit, iterum duplex, alia quum non tam è suâ sede evidenter removetur os, quam ligamenta ossa, nectentia laxantur seu dehiscunt: alia quum ossa, evidenter mota loco cienter. Prior laxationis modus διάστημα Hippocrati dicitur, Galeno teste, cui στέμμα & διάστημα differunt.

runt. στέμμα proprie, levis illa est ossium pedis luxatio, eveniens quum inter incedendum vestigium fallit, ligamenta contorquens potius quàm ossa suo loco movens. Peculiares porro dorsi vertebris hæ voces Hippocrati, κύφωσις, λόρδωσις, σκολίωσις, σεῖσις.

κύφωσις quæ & κύρτωσις, Latinis *Gibbus* & *Gibbositas*, quum vertebræ extrà prominent, adeo recuro exterius existente dorso, prono uti capite terram spectare cogantur ægri. quod vitium etiam ὕβωμα Græcis vocatur. Sic itaque affecti, Græcis ὑβοὶ, κυφοὶ, κυρτοὶ, γλύσοι vocantur. vide Hippocratem lib. *de Artic.* Galen. *comm. in Aphor.* 46. 6. & 35. 4.

Λόρδωσις, quum spinæ vertebræ introrsum feruntur, ita ut in dorso cavitas appareat, in pectore tumor. Latinis *Repanditas*. videatur Galenus locis citatis, ubi λόρδωσιν, εἰς τὸ πρόσω τῆς ῥάχεως διαστροφὴν, vocat, spinæ anteriorem in partem perversionem, eamque fieri εἰς τὰ πρόσω ἰόντων τῶν σπονδύλων, vertebris in anteriora inclinantibus.

Σκολίωσις, Latinis *Divaricatio*, luxationis spinæ species, quum vertebræ loco motæ ad latera inclinant. ita Hipp. σκολιαίνεσθαι significat. lib. *de Artic.* dicente Galeno, esse, τὴν ῥάχεως διαστροφὴν εἰς τὰ πλάγια.

Σεῖσις, *Quassatio* & *Loco-motio*, ubi vertebræ evidenter suo quidē non moventur loco, verum laxatis nimis quibus connectuntur ligamentis ubi vacillant, fluctuant, ac à se invicem in longitudinem abeunt.

SCELETI PARS TERTIA.

Cap. I.


De Thorace.

VItalium illa officina nunc sese offert, regio corporis perpetuo mobilis, in qua calori ac respirationi addictæ partes, in qua Cor viscerum illud nobilissimum, quo rege incolumi mens partibus omnibus una est, ast eo in officio segnescente aut deficiente, rupere fidem. Huic dico inservit regio corporis inter inguina ac caput media. ita namque solent Scriptores, truncum absque artubus consideratum, ejus imum inguina statuere, summum caput. Poeta hac mente:

——— ——— Quid enim Venus ebria curat,
Inguinis & capitis quæ sint discrimina nescit.

Hanc

Hanc Scriptores Græci ſubinde κοιλίαν, à conſpicua quam oſtendit cavitate, imo capacitate vocant.



A Sternon.
B Jugulum.
C Ensiformis cartilago
1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Costæ legittimæ*
I. II. III. IIII. V. *Costæ spuriæ,*
a *portiones cartilagineæ, quibus costæ sterno nectuntur.*
D *Vertebræ Thoracicæ.*

Et cum adiectione κοιλίαν μέσην, & ad eorum imitationem ventrem medium Latini. ita apud Hipp. 2. de morb: πολλάκις γὰρ ἐκρήγνυται ἐς τὴν κοιλίην, καὶ αὐτίκα δοκέει ῥάων εἶναι· ὅταν ἐκ στενοῦ ἐς εὐρυχωρίην ἔλθῃ. *Sæpe enim pus in* κοιλίην *se offundit, tumque protinus melius habere videntur, quia ex angusto in capaciorem venit locum.* Non inusitatum Græcis quod cavum intus, κοιλίαν vocare. ita σπλάγχνων κοιλίαν vocant ventriculum subinde, ita Erotianus, cerebri cavitates κοιλίας vocat. Philotheus hanc ad rem conspicuum adfert locum. ad Aphor. 15. 1. κοιλίας λέγει τὴν σιτοδόχον, καὶ πᾶσαν κοιλότητα ἐν βάθει κειμένην· οἷον ἐγκεφάλου, καρδίας, καὶ τῶν ἄλλων. *Colias vocant eam quæ cibos capit partem, tum & omnem cavitatem in profundo sitam, uti cerebri, cordis aliarumque partem.*

Verum hæc universalior vox, magis huic regioni familiaris, imo propria est, quâ θώρακα vocant. Unde autem θώραξ dictus fuerit, dissentire video Etymologos, Stoïci deducunt, quod mentem divinam

vinam animæ partem continere illis crederetur ejus namque domicilium cor putabant, thorace contentum. Hanc ſententiam inter alios Chryſippus antiquitus acriter fovebat ἀπὸ τοῦ τὸ θεῖον ἤγειν τὸ διανοητικὸν ὁρεῖν· nec is ſolum ſed & alij non pauci hinc enim eſt quod Latini cordatos vocarint. Eo reſpicit Horatius:

Non tu corpus eras ſine pectore?

thoracem pro ipſa ſumens ſapientia.

Hanc Stoïcorum ſententiam rejicit imo explodit non uno loco Galenus, potiſſimum.3 *de Platon: & Hipp: Placit: cap.5.* docens mentem, ſapientiam, ſeu rationalem animam non in corde ſed in cerebro ſuum habere domicilium, cui univerſa ſubſcribit medicorum ſchola. Is thoracis vocem à θορέω deducit, quòd ſalio, exſilio, reſpectu nempe perennis & nunquam ceſſantis motus quem agentibus ejus motui dicatis peragit muſculis, idque ut cordi ac pulmoni bene ſit.

Latinis hæc corporis regio *Pectus* dicitur quæ tamen vox tria illis ſignificat. interdum ipſum cor thorace contentum. Juvenalis ſatyr. 11.

Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Interdum pro anteriore tantum thoracis parte.

—— *triplici ſervantur pectora ferro*
nam tergo tunc nullus erat metus.

Pro univerſa hac corporis regione ſimul conſide-

rata. Pectus dicentes, quod ex compactis inter se costis constet. Quinam ejus termini? alij hoc ævo, quam antiquitus. Hipp. lib. de Art. sub ejus nomine etiam abdomen comprehendit, Thoracem vocans, quo hepar continetur. Manifestius Arist. 1. Hist. Anim. cap. 7. Thoracem vocans, quod à collo ad pudenda extenditur. Galeni ævo, quæ & hodie obtinet, regio dicebatur, quæ costis comprehenditur, cujus superior terminus claviculæ seu jugulum, inferior diaphragma seu præcordia. Videatur. *9 Anatom. Administ. cap. 1. & 6. de usib. part. cap. 2.* Vere Horatius:

Multa renascentur quæ jam cecidere: cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus
Quem penes arbitrium est & vis & norma loquendi.

Iugulum cavus is est locus ad colli radicem quem claviculæ comprehendunt. Præcordia nota sunt.

Partes thoracem constituentes, continentes aliæ, aliæ contentæ. Continentes, aliæ reliquo corpori communes, thoraci propriæ aliæ, uti ossa, musculi, pleura. nobis hic de ossibus agendum. Thoraci ossa adscribo XLVII. (moneo autem, me duodecim vertebras à spina mutuari, ne quis illas bis numerari debere putet) nimirum XXIV costas. XII vertebras,

bras, partes osseas sterni VII, claviculas duas, cum totidem scapulis. Hæc ita sibi invicem articulantur, capacissimam uti figuram thoraci tribuant, rotundam nimirum. sicque fuit necesse, ut quam libertimè se movere posset pulmo, utpote à quo refocillatio, imo conservatio pendet vitalitatis. *Gal.* 13. *de usib part.* 6. *cap* naturæ quatuor fuisse in thoracis conformatione scopos vult, vocem, respirationem, cordis motum, pulmonis expansionem. Sane posterior causa quantæ sit necessitatis, satis ex *Aph.* 46. 6. patet cujus explicationem anteà dedimus. cap. 2 partis 2. Ita hac de causa claviculis donatus homo. Huc respicit Hipp. *Epid.* 6. *sect.* 3. in tabem pronos esse, quibus alatæ sunt scapulæ, asserens. hoc autem ijs accidit, vitiatâ quibus capax illa rotunda thoracis figura.

CAP. II.

De Costis.

PRæcipuam thoracis partem Costæ constituunt, duobus semicirculis se jungentes, eaque ratione orbicularem pectori conferentes figuram. Hæ à custodiendo sic dictæ, Græcis πλευραὶ, aut quoniam latera constituunt (est πλευρὰ latus Græcis:) aut πλευραὶ quasi πνευραὶ à πνέω quod spiro, πνεῦμα

ſpiritus. ita reſpirationem viſcus πνεύμων Græcis. Sunt autem ad reſpirationem ita neceſſariæ coſtæ, abſque illis uti hæc peragi nequeat. Officina reſpirationis pulmo eſt: Is motu per ſe deſtituitur, ſed ad motum thoracis motitatur, thoracis autem motus, à motu pendet coſtarum, quem perficiunt muſculi, diaphragma partim, partim intercoſtales, alijque. Sunt coſtæ communiter XXIV. numero, utroque thoracis latere XII fit interdum XXII. uti ſint, fit & ut XXVI. quod frequentius. Luſus naturæ eſt pro ſubjectæ in quam agit materiæ diverſitate. Hæ porro quum variant, etiam vertebrarum thoracicarum variat numerus, quodipſum in vertebrarum monui examine, Nec variat hic numerus pro ſexus varietate, cum tot ſint viris, quot fæminis. docet id autopſia, fidiſſimus rerum decidendarum judex ut ad locum in ſacris Geneſ 2. recurrere opus non ſit. quamvis is rectè ſi inſpiciatur ei ſententiæ non opituletur, quum diſertè dicat, Jovam Deum ex illa quam Adamo detraxerat coſta mulierem conformaſſe, non itaque figuram ſuam illa retinuit. Dividi autem ſolent in legittimas & illegittimas ſive ſpurias, Legittimæ utrimque ſeptem, ſuperiores nimirum, incipiendo à claviculis & deorſum numerando, inferiores quinque ſpuriæ vocari ſolent. Ita primis diſtribuit Hipp. lib. *de Loc. in homine* & lib. *de Judicationib.* videatur hanc ad rem Gale-


Galenus lib. 5. *Anatom.* *Administ.* cap 4. *de Off.* *cap* 12. & 7 *de usib. part. cap* 21. ligittimæ simpliciter vocantur πλευραί tum & cum adjectione ἀληθεῖς, illegitimæ νόθαι id est spuriæ. unde hoc? respondetur vulgo, quod superiores in sternon, inferiores non nisi mediante cartilaginea, ei infigantur apophysi. cum tamen si quis rectè rem intueatur, videbit, tam has quam illas cartilagineis apophysibus sterno necti, aliam veteribus fuisse causam reor, quod nimirum costas proprie vitalibus thoraceque contentis partibus quum destinarit natura illarum enim custodiæ dicatæ) illæ dictæ sint verę, hoc officium vere corpori quæ præstant. tales sunt superiores septem: inferiores namque non solum vitalibus, sed & naturalibus nonnullis, Iecori dico, Lieni, Ventriculo inserviunt, eoque à vera costarum naturâ recedunt. idipsum ostendit sensus, obliquum namque quum habeat situm diaphragma, utrimque constituit præcordia, sedes ab unâ parte jecoris, ab aliâ ventriculi & lienis. Idem ostendit locus Hipp. lib. *de Artic. sect* 3. ubi jubet ut in castarum fractura ægri liberalius cibo se repleant, ut ea ratione distentus ventriculus premat veluti agatque extrorsum depressas costas. verba ejus hæc: *Si continua febris ipsos* (loquitur de ijs intus quibus fra- »
ctæ, sive depressę costę) *non infestat, etiam vasa ob in-* »
ediam his vacua fieri deterius est: etenim moderata ventris »

" *repletio, costarum est directio, contra ventriculus vacuus,*
" *costas reddit pendulas, unde dolor intenditur.* Ita Paræus lib. 14. cap 11. se observasse scribit, quod quibus spuriæ costæ intus fractæ, ab assumto cibo melius se habeant. quibus patet, ventriculo infimas costas propugnaculo existere, proprium autem costarum quum sit vitalibus inservire, hinc esse existimo notharum costarum infimæ quod invenerint nomen. Idem probatur exemplo Miliensis apud Hipp. 5. Epidem *cui onustus currus costas intus depresserat fregeratque* : *sequuta est ægro* (inquit Hipp.) *collectio puris intra fractas costas. hic* (notandum) *ustus fuit regione lienis.* Vides lienem costis cingi sed imis, quæ hac ratione à verarum costarum deflectunt naturâ, quod alijs quàm ad thoracem requisitis inserviant partibus. Iunguntur costæ anterius sterno per synchondrosin, per synarthrosin vertebris. Eduxit natura è sterno portiones cartilagineas, quæ costis occurrentes sesequejungentes, ita sterno eas combinant. causam existimo, ut analogia esset inter molle sternum & duriores costas. Quia vero inferiores costæ descendendo minores fieri debuerunt, ut thoraci sua adveniret rotunditas, hac de causâ partes cartilagineas illas, etiam productiores fieri necesse fuit. hinc est, spuriæ costæ quod μαλθάκαι πλευραὶ, & χονδρώδεις ἄκαθαι vocentur Anatomicis Græcis. Celsus has ῥοας vocat, forte quia breviores redditæ,

tæ, circa finem deperdi videntur, ficque à ἐῶ quod fluo, perdo, amitto, vocatas dicamus: Costarum nonnullæ peculiares accepere voces. Priores duæ Polluci ἀντίστροφοι, retortas seu recurvas quasi dicas, vocantur, breviſſimæ enim quum ſint, admodum in ſe incurvantur. Tertia & quarta στερεαί eodem Authore, firmas, robuſtas dixeris. Quinta cum ſexta στερνίτιδες quaſi verè ipſi ſterno infixæ. Septima cum octava παρασύροι diſtractas ſeu ad latera tractas dicas. Figura coſtis ſingulis ſemicircularis, ſicque benæ, mediante ſterno ac vertebrâ iunctæ integrum conſtituunt circulum, capaciſſimam efficientes pectoris figuram, ob cauſam jam dictam. Harum interior ſuperficies, thoracis reſpiciens cavum, per omnia æqualis, glabra, ac nitida apparet, ne ſi aſpera, ſuâ inæqualitate pleuræ membranæ nocua eſſet. Oſtendunt autem ſingulæ hac ſuperficie ſinum ſecundum earum excurrentem longitudinem, à vertebris incipiendo, quem extima ſuperficies non exhibet. Hic paulatim ſternon verſus ſe extendens evaneſcit, ac deletur. ea coſtarum is conſpicitur parte quâ ſubjectas coſtæ reſpiciunt. Notandus autem, nam in hoc tuto requieſcunt vaſa omnis generis (venæ dico, arteriæ, nervuli) coſtis partim, partim intercoſtalibus muſculis, nutrimentum, vitam, ſenſum adferentia. Quod ſi quando ſive ſectione ſive uſtione in intercoſtalibus ſpatijs opus ſit (uti in

empye-

empyemate, pure in thoracis fluctuante capacitate) hunc locum vitandum esse sciat chirurgus, ne vasis hisce læsis, incommoda inde eveniant. Quod non ex solido integro osse constare thoracem voluerit natura, sed intercostalia fecerit spatia, causam existimo, partim mobilitatis gratiâ, (repleta namque hæc spatia musculis costas sibi invicem adducentibus abducentibusque) partim majoris levitatis causâ id à naturâ factum. quod in thorace summé necessa



A Sinus excurrens secundum costæ longitudinem superficie internâ.

Veteribus familiare ustione aut sectione thoracem perforare. Urebant autem intercostale aliquod spatium, aut appresso fungo incenso, aut ferramen-

to candente. Sectionem novaculâ peragebant, aut (quam rationem Hipp docet *lib. de intern. Affection.*) terebrâ unam aliquam è superioribus costis perforabant, quoad in ipsam pervenissent pectoris capacitatem, & per factum vulnus, inclinato in locum perforatum ægró, pus educebant. Illam perforationem, in hydrope thoracis. instituit dicto loco Hippocrates. Quoniam autem perforationis thoracis facta mentio, obiter id dicere visum, in quibus affectibus hoc remedij genere usi veteres, quot modis eo uterentur, quæ instrumenta ad id peragendum ipsis usitata Ustione in varijs usi fuere affectibus. *Libyes* infantum bregmata oesypo inurebant ovillo incenso. Scythæ temporum vasa incidebant, ad intercipiendum pituitæ impetum Ad costigandam humidam partium intemperiem, cauterium ipsis in usu. Galenus notat 5 Meth. cap. 4. *hac vero ratione tum in* " *pudendis tum in sede ad talem sæpe devenire solemus necessitatem. quia videlicet dictæ partes tum propter natura*" *lem humiditatem, tum quod excrementorum sint receptacula, putredinem facile incurrant.* Idem monet etiam in læsionibus à venenatis bestijs illud remedium usitatum subinde fuisse, hæc inquiens 13. Meth. cap. 6. *Sunt & qui ore suo virus extrahunt, affectã partim apprehendentes, labijsque exsugentes. huc pertinet & cauteriũ &* " *medicamẽta quæ cauterijs similẽ faciunt eschară.* Cui affine "

est in malignis per se ulceribus, uti cancris: aut cum acris valdè ac erodens imo exedens materia, partem infestaret. Idem videatur loco ante citato 5. Meth. cap. 4. Etiam in internarum partium pertinacibus affectibus ustio ipsis in usu, quum nempe ejus fortis, nulla uti exhibita prodessent remedia. Ita Hipp. *lib de intern Affect.* quinquies in diversis lienis affectibns ustionem præscribit. In jecoris abs-
" cessu pus continente urit Hipp. aph. 45. 7. *quicun-*
" *que hepar habentes suppuratum uruntur, siquidem pus*
" *purum ac album fluat, evadunt, in membranâ jecoris ex-*
" *terna contineri significatur, sin vero amurcæ simile prode-*
" *at, moriuntur.* Idem *lib. de inter. Affect.* urendo octo plagas jecori imprimit. Iam vero quod in thoracis affectibus ubi educi aliter nequibat materia ad ustionem devenerint probatum ante Patet idem
" ex aph 44. 7. *quicunque* ἔμπυοι *uruntur aut secantur, si*
" *pus prodeat purum ac albicans, evadunt, sin vero subcru-*
" *entum, cœnosum, ac graveolens, pereunt.* Ita hydropicos ustos, sectosque, ophthalmicos, ac in multis alijs affectibus, loquuntur passim veterum scripta. quæ omnia loca hic coacervare animis mihi non est. Ad modum urendi, is diversus erat pro affectuum diversitate ij si externi, ratio ut plurimum eadem: nisi quod diversam partium substantiam inspice-
" rent. monet id Hipp. de intern. Affect. inquiens: *urere*
" *autem oportet carnosa quidem ferro, ossa vero & nervosa*
fungis.

fungis In affectionibus vero internis, pro viſcerum malè affectorum diverſa conditione, diverſam etjam inſtituebant urendi rationem. eam adrem hæc generalia tradit Hipp. præcepta *lib. intern. Affect.* 1. ut corpus ægri æquali ſemper ſervetur poſitu, ne ob cutis contractionem majus faciendum ſit vulnus 2. ut inter urendum à tuſſi ſibi temperet æger. 3. ſi ureretur thorax, (hoc præcipit de morb. lib. 3.) *Calidâ aquâ ægrum ieiunum lavato, in ſellâ tum collocato, ſitque ad manum miniſter qui urendum humeris præhenſum concutiat. quod dum fit alius aurem pectori ægri admoveto, ut percipere poſſit ex puris ſtrepitu cui lateri uſtio admovenda, quod ſi etiam dubitet, linteum terrâ erythroide tinctum undique thoraci admovendum eaque parte quâ ſiccitatem omnium primum oſtendebat linteum, ibi de uſtione cogitandum.* Alius illis uſtionis fuit modus liene (aut etiam jecore) malè affectio; tam enim partes viſceri iniectas, quam ipſum urebant viſcus. Monet Ægineta lib. 6. cap. 48. *Marcellus medicus ſolitus* « *fuit cutem viſceri iniectam hamulo attollere, hinc oblongo* « *tridente (Triænam Græci vocant) ſex efficiebat cruſtas.* « Ad urendum porrò non una illis in uſu materia. aut enim actu aut potentiâ vis eï inerat urendi. potentiâ uſtulantia, erant calida gradu ſummo, quæ ob id καυστικὰ vocabant, quorum infinitis apud veteres locis mentio. Inter ea quæ actu urebant, ferrum candens maximè in uſu. etiam alia. Theo-

phraſtus viticem hoc nomine in uſu fuiſſe ſcribit. Hipp. non ſemel fungorum meminit. Verum ne extrà lineam nimis abeam, hic me ſiſto, ad thoracem verſoriam faciens. qui volet inter neotericos de cauteriis (ſunt plures) videat Fallopium, peculiari & docto tractatu.

Cap. III.

De Sterno.

Circularis thoraci uti accedat figura coſtæ anterius junctæ oſſe molli ac fungoſo. Hoc umbonis in modum cordi ac vitalibus conentis objectum, ſicuti à tergo ſcapulas eædem habent. Inde, *Scutum cordis*, etiam *Pectoris os* ſcriptoribus Latinis. Græcis στέρνον, στῆθος ξιφοειδὲς; Στέρνον à firmitudine, ſeu ſoliditate, στερεόω ſolido, firmo. στερεὸς ſolidus, firmus. At qui hoc, ingerat quis, quum molle, & tantum non leve ſit os? Sunt qui κατ' ἀντίφρασιν hoc nomen inveniſſe putent, quaſi minimè firmum nec ſolidum. Alijs ita dictum placet, quia coſtas firmiter cohærere faciat. At hoc facere poteſt, ipſum licet conſiſtentiam non habeat firmam. Rectius ſentire illi mihi videntur, ita ijs olim Græcorum vocitatum, mentum qui in pectore ſitam æſtimabant, quod paulo antè attigimus, ijs dico

dico στέρρον vocatum, παρὰ τὸ στέῤῥον τοῦ νοῦ εἶναι quod sub hoc osse mentis esse firmitudinem putarent. Non displicet conjectura, eo magis, quod sterni vocem græcis ea mente non semel sumi videam. hoc enim illis usitatum: διὰ στέρνον ἔχειν, meminisse, memoriâ tenere; &, βαθύστερνος pro homine cui profunda est solidaque mens ac cogitatio, εὔστερνος qui placidus est, ποικιλόστερνος versi pellis. Huc illi respexisse videntur ex neotericis, qui de lapsu scutiformis acturi cartilaginis (quæ sterno nexa) tractatui suo titulum fecerunt, de Animæ casu. Eo autem magis hæc vocis hujus placet origo, quod altera quam huic tribuunt ossi vox, etiam inde derivetur veteribus. Hippocrati namque non uno loco στῆθος dicitur, unde autem? quoniam in eo τὸ ἡγεμονικὸν ἕστηκεν, nimirum ex Chrysippi sententiâ, sicuti anteà dictum. Hipp ad hanc vocem videatur Coac. sect. 1. Aph. 4. οἷσι χολώδεος διαχωρήσιος οὔσης περὶ στῆθος δῆξις καὶ πικρότης, κακόν: *quibus cum beliosa dejectione, morsu premitur stethos, malum* Ita *aph.* 23. 3. τοῦ δὲ χειμῶνος, πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, πόνοι στηθέων καὶ πλευρέων: *hieme fiunt pleuritides, peri aneumoniæ, dolores laterũ & pectoris ossis.* Etiam ξιφοειδὲς vocatur Anatomicis Grecis, Gal testante cap 13. de ossibus, respectu cartilaginis ita vocatæ, quæ ejus extremitati nexa cernitur, de qua jam agemus Nunquã enim apud me locum eorũ inveniet opinio, qui magno molimine probo te conantur (neq; gregarij sunt Anatomici) to

tum hoc os cum gladio seu pugione antiquorum similitudinem habere. Hi sudant multum dicendo, sed ne hilum quidem proficiunt. Huic ossi liceat mihi partes adscribere osseas septem, Galenum sequuto cap. 12. *lib. de ossib.* tum & 7. *de usib part.* cap. 21 Autopsiam sequuto, quæ ostendit discretas intermedijs harmonijs septem osseas partes in infantibus primum natis, rationem denique sequuto, tot enim partibus constare debet quot legittimæ existunt costæ. Verum qnoniam harmoniarum intermediarum major pars, paulatim â caloris, omnia siccantis & consumentis, actione obliteratur, ideo consuetudo est vocandi hoc os τὸ στέρνον, non τὰ στέρνα. Ita caput aut cranium singulari dicimus voce, quum tamen è pluribus constet ossibus. Hoc os interius modicè excavatum, exterius paululum protuberans, ut firmius esset partim, partim ut rotunditati thoracis quantum posset, conferret, superius latius, paulatim descendendo angustatur. Parte superiore quâ radicem sive initium tangit colli, ipso sui medio, semilunatum ostendit sinum quum utrimq; claviculæ claudunt. hic peculiari voce σφαγὴ Græcis, Latinis Jugulum, sic dictum, quod vulnera hic incidentia certo jugulent, indeque scriptoribus jugulum petere, jugulare, jugulum præbere.

Virgi-

Virgilius: *Hæc loquitur, juguloque haud inscius accipit ensem.*
Ovid: *Obsidis unius jugulum mucrone resolvit:*
Qui jugula duo statuunt (inter quos Celsus lib. 8. Plin: lib. 12.) duo latera colli circà radicem intelligunt. Quur vero lethale adeo sit hoc loco hominem lædi, is facile dicet qui in Anatomicis versatus, sciet namque plura vasa hoc concurrere loco, quæ dissecta certam perniciem secum trahant necesse est oriuntur hic musculi mastoidei capitis, sternohyoïdeï ossis hyoïdis. Hic videre est sextæ conjugationis nervos animæ canalem, arteriam asperam dico, gulam, venas jugulares, carotides arterias, quibus resectis, ne ipsa quidem si advolet salus nisi miraculum editura, salutem attulerit. Parte jugulo perpendiculariter opposita, infimâ dico sterno nexâ, insignis se ostendit cartilago, hæc ξιφοειδὴς Græcis, eademque mente mucronata, ensiformis, gladialis Latinis, figuræ nempe respectu, usus vero clypealis, & scutum stomachi. Cum tamen stomachum, hoc est superius ventriculi orificium neque ipsum ventriculum ullo modo attingat. Præposita fuit diaphragmati, isque genuinus ejus usus, sequacem nempe se præbere ad vitales illius musculi motum, ut qui interiori ejus annectitur superficiei, nullum alias habiturus pro pugnaculum, cum hoc loco divaricatæ costæ à sein vicem in diversa abeant.
Hoc

Hoc ita se habere, in ijs qui contabescunt apparet (quod dico in pluribus observavi) utpote hoc loco conspicuam ostendentes lacunam seu cavitatem omnes. causa, quod ratione non naturalis quo consumuntur æstus, succulentiâ diaphragmatis absumtâ, illud corrugari faciat ac in se contrahi, unaque secum trahat hanc cui nectitur, cartilaginem. Observavi ut plurimum, hypochondriacos, quique ex abdominis viscerum (lienis, jecoris, mesenterij potissimum) laborant obstructione, contractum & excavatum mirum in modum hunc ostendere locum, foveam hi tales hic ostendunt, etiam pugni capacem. in causa est dictorum viscerum nonnaturale pondus, impediens quo minus liberè se pandere diaphragma queat. Hujus rei meminì nos primum monitos à Viro Clarissimo Gerardo Boutio, Præceptore meo, non absque honore mihi nominando, quum Anatomen exhiberet (exercuit enim hanc artem, idque summa cum laude in hac Academia primus) Anno 1581. Fit interdum adeo uti siccetur ac induretur hæc cartilago, rigeat uti, utpote osseam nacta duritiem. exempla mihi nota, hi tales de summâ respirandi difficultate semper queruli. Idem à me observatum in epiglottide, quod monui cap. 3. partes 1. hujus Osteologiæ. Affectu jam dictis omnino contrario subinde hæc corripitur cartilago, Σεῖος dico seu *Fluctuatione*,

tione, præcipitante namque se in hunc locum humiditate nimia fit interdum adeo hæc uti cartilago mollescat, ejusque quibus sterno nexa hæret, membranæ lubricæ reddantur, laxata uti à suo osse recedat, neque officium suum diaphragmati amplius præstare queat, hi tales in inspirando laborare se asserunt. Prolapsum mucronatæ cartilaginis & Animæ casum affectum vocant, qui de eo scripserunt.

Substantiam sterni si respicias, mollis ea fungosa, ac levis, quod ipsum singulari instituto à provida natura factum arbitror, ne nimirum densam ponderosamque si nactum esset, suo pondere thoracis motui impedimentum creasset. Hæc res nonnullis interdum ægris usui est, illis dico quibus noxia materia substerno, spatio mediastini intermedio collecta, illis namque sectione in sternon instituta succurri solet. at vero ob fungosam consistentiam minore negotio perforari potest. Quod dico illud est: Tres habet sternon usus. 1. cordi ac vitalibus propugnaculo uti sit. 2. firmiter sibi invicem uti costas devinciat. 3. ut mediastini fulciciat membranas, eâ ratione impediens, ne pericardium in cor se pręcipitans, ejus motui impedimento existat. Ita vero sterno nectuntur mediastini membranæ, distantiaćt inter se uti habeant, quanta sterni est latitudo. accidit interdum ut triangulares

musculi, substerno latitantes, inflammentur, aut etiam illa pleuræ pars sterno quę juncta, pleuritidem faciat, ruptâque vomicâ pus in hoc se effundat spatium vacuum, hanc cùm in pulmonem deponere natura, ob densitatem membranarum mediastini non possit, ne moriantur ægri, sectione illis subveniri solet. Exemplum est apud Gal. 7. *Anatom. Administ. cap.* 13 quod ob rei raritatem abscribo: *Ictus puer Marilli Mimographi in pectore in palæstra, neglectus primum est, deinde parùm probè curatus. post menses quatuor pus in parte percussâ apparuit. hoc auferre cogitans medicus, puerum incidit, &, ut putabat, subitò ad cicatricem vulnus perduxit. postea rursus inflammatio oborta est, mox quoque abscessus, iterum sectus puer est, nec amplius cicatrix obduci potuit. Quapropter herus ipsius pluribus medicis convocatis, inter quos ego quoque eram, deliberare super curatione pueri jussit. Cum autem sideratio, quam Græci* σφάκελον *appellant, pectoris affectum videretur omnibus, appareret autem & cordis à sinistra ipsius parte motus, nemo affectum os excidere audebat, quippe arbitrabantur thoracis perforationem necessariè futuram. Ego autem, citrà perforationem, ut medici quoque appellant, adhibitam, pollicitus sum me excisurum de, absoluta verò curatione nihil promisi, cum incertum esset, num aliquid ex iis quæ pectori subjacent, fuerit affectum, & quatenus affectum. itaque regione detectâ, amplius nihil in pectore læsum apparuit, quàm quod ab initio statim vide-*

videbamus: quare etiam magis ad manus operationem venire sum ausus. Cum jam fines quibus arteriæ & venæ subhærescunt, utrimque illæsi occurrissent, affectumque ab eo potissimum loco excidissem in quo talis pericardij vertex consistit, cumque nudum cor appareret, (quippe involucrum ipsius computruerat,) ob hoc quidem haud bonam statim spem de puero habebam, attamen in totum brevi temporis spatio persanatus est. " " " " " "

Interdum usu venit: frangi, aut etiam violenter introrsum deprimi sternon, quæ res sanguinis sputum, spirandi difficultatem, aliaque secum trahit symptomata. Hoc casu exercitati chirurgi ægrum supinum collocant, dorsoque substratis pulvinaribus, uti validus minister in ægri humeros, ambabus, innitatur manibus jubent, quasi eos depressurus, alter vero eodem tempore utrimque manibus comprimat costas idque quoad in sedem suam os hoc resiliat. ejus exemplum qui volet apud Paræum videat lib. 14 cap. 10.

CAP. IV.

Scapulas examinans.

STernon sicuti cordi anterius velut clypeus, ita lata scapularum ossa eidem fini ei posterius apposita. hæc universam superiorem dorsi

tangunt partem, etenim à tergo incidentes ictus prævidere homo nequit, oculis in occipite deſtitutus, Hæc ὠμοπλάται Græcis à latitudine vocitantur *Scapulæ* & *Scapularum oſſa* Latinis, à ſcandendo uti nonnulli exiſtimant, à dorſo namque incipiendo caput verſus ſcandere videntur. eſt autem hoc ævo quam antiquitus alia vocis ſcapularum ſignificatio. Quid ſi figura reſpectu ita vocata dicamus, quod ſe habeant velut ſcapulæ? quà namque coſtas reſpiciunt excavatæ apparent. Etiam *Scoptula operta*, quod cor cum pulmone operiant. *Humeri oſſa*, nam humerum non contemnenda ſui parte conſtituunt: etenim conjunctio ſcapulæ, brachij & claviculæ humerus dicitur, quod ei velut humo onera imponi ſoleant, nec ulli loco niſi dicto articulantur, verum reliquis partibus liberè in dorſo fluctuant, ne circumactionibus liberioribuſque brachiorum motibus impedimento ſint. libertas hæc cauſa, quur fidiculas qui patiuntur, rejectis in tergum manibus fune ſuſpenſi, in præceps demittuntur, quur inquam illud ſupplicij genus abſque oſſium diſlocatione ſuſtinere queant. Qua in re tamen notandum, majore cum periculo poſt tergum attolli, quàm contrà brachij. Cervicem habet ſcapula non valde profundam, ſed ſuperficiariam potius, excipientem brachij oſſis caput, ne autem hęc tam lubrica articulatio levi de cauſa loco mota motum

brac-


brachio eripiat, validis circumpoſitis ligamentis huic loco proſpectum, inſuperque quo abundantior eſſet cautela, duos inſignes eï appoſuit proceſſes, huic articulationi ita in ambitu circumpoſitos, ijs uti muſculos licet adfigat natura, evidenter tamen intuenti pateat, ob ſecuritatem hujus ſyntaxeos potiſſimum hos extructos. Horum prior, qui minor ac incurvus, à figura σιγμοειδὴς, κορακοειδὴς, ἀγκυροειδὴς, Græcis vocatur Anatomicis, figura quod, corvinum referat roſtrum, aut etiam anchoræ eam partem fundo quæ infigitur, Alter maximas, à gibberâ ſe effert ſcapulæ ſuperficie, & ad hunc locum ubi ventum, libere à ſcapulæ dorſo ſe attollens, & ſupra jam dictam ſe exſerens articulationem, cum claviculâ ſe jungit. Hunc ἐπωμίδα, ἀκρώμιον, & ἄκανθαν Græci, *ſpinam*, & *ſpinoſum* á figura proceſſum vocant Anatomici Latini. cujus uſus claviculam firmare, validiorem minuſq; injurijs obnoxiam reddere ſcapulam, muſculos nonnullos producere, potiſſimum vero articulationi ſcapulæ & brachij præeſſe, impedireque ne illa ſyntaxis ſolvatur facile. Et notandum ſanè quum tam hic quàm anchoræ comparatus, ſeſe ſupra hanc articulationē attollant, elevatique exſtare conſpiciantur, hinc petere cauſam eſt quur admodū raro brachiū aliter excidat quàm inferiora, verſus tāgentibus ſe offerente protuberante brachij capite

ſub axilla. nam poſitus jam dictorum proceſſuum tales, ſurſum uti excidere niſi magna violentiâ inæqualique admodum contortione nequeat. Dictus jam proceſſus maximus à dorſo ſcapularum exſurgere dicitur Anatomicis, vocantes ſcapularum dorſum, ſuperficiem earum extimam leviter gibberam ac protuberantem χελώνιον vocant Anatomici Græci, teſtudinem dixeris, teſtudinis utpote dorſo (quæ χελώνη græcis) non abſimilem. Hac ſuperficie à latere ſpinoſi proceſſus oblongus profundusque conſpicuus ſinus quem Interſcapilium Hyginus vocat. Illud in ſcapularum figurâ notandum, eâ parte quâ circa ſpinam latiores apparent, cæterum ſubſtantia tenuiores τραπέζαι Polluci dici ſoleant, quâ vero parte craſſiores factæ, arctantur, ac in acumen deſinentes lumbos ſpectant πτερύγια ab alarum vocari ſolent ſimilitudine. Quæ vox Hipp. familiares, qui prominentes alarum in modum ſcapulas diſpoſitionem ad phtiſin præſagire vult. ita inqniens Epid. 6. *quibus ſcapulæ alarum in modum prominent, hi ad tabem proni ſunt.* quod explicans Galenus tum & Palladius Sophiſta cauſam tradunt, quod ſignum ſit ejuſmodi corpus à prima conformatione frigida fuiſſe temperie donatum, inde cum coſtæ & vertebræ exiles manſerint (caloris etenim eſt pandere ac dilatare) ac in ſe contractæ, tabulatus fit thorax, carinatum pectus, pro-

prominentibus acumine costis, extrorsum scapulas cogentibus ac velut protrudentibus. in talibus namque costæ non debitè nutriuntur, hincque nec accrescunt, justamque acquirunt amplitudinem, accrescente autem nihlominus pulmone, eo tandem res devenit, exiguâ uti thoracis capacitate contineri nequeant, neque debite sese pandere. inde caloris vitalis putredo, nam ejus refocillatio à libera pendet pulmonis actione.

A *Dorsum scapulæ, sive gibbera ejus pars.*
B *Ejusdem scapulæ superficie cava.*
C *Sinus, cui caput ossis humeri se immittit.*
D *Processus anchoræ comparatus.*
E *Processus spinosus, claviculæ se jungens.*

CAP.



CAP. V.

De claviculis.

POstremo loco ea se offerunt ossicula, primus quibus merito debebatur, quum non tantum homini sint peculiaria, verum insuper insignem conferant thoraci usum, & talem quidem hisce ossibus longævitatis humanæ causam uti tribu-

tribuant Veteres. Conſpiciuntur anteriore ſuperioreque, pectoris parte, utrimque à jugulo Curva ac ſinuoſa ſunt Oſſicula, velut obices aut cunei brachijs ac ſterno interjecti. κλεῖδες Græcis vocantur, *Claviculæ* latinis, ſic dictæ quod thoraci ſint velut clavi, aut ſi velis, velut claves, clavi namque ſicuti aſſeribus impacti, eos ſibi invicem firmiter conferruminant, ita hæc oſſa ſcapulas cum brachijs thoraci jungunt, itaque hoc reſpectu κλεῖδες, παρὰ τὸ κλείειν à jungendo. At clavis ſicuti eſt, ſeram ſeu clauſtrum aperire ac claudere, ita hæc oſſa ſuperiorem ſterni partem claudunt, neve periculoſus is locus admodum pateat, impediunt. κλείω autem eſt, claudo, obſero. hinc κλεὶς clavis, κλεῖθρον clauſtrum ut de claviculâ, quod de Carnâ Poetæ dici poſſit.

Numine clauſa aperint, claudit aperte ſuo.

Alluſit eo Philippus Macedo, cui quum in prælio colliſa eſſet hæc pars, & medicus petax pecuniam inter curandum identidem poſtularet λάμβανε, inquit, ὅσα βούλει, τὴν γὰρ κλεῖν ἔχεις. *Cape quantum vis, claviculam enim habes.*

Etiam Jugularia oſſa latinis (non Iugalia uti ineptè nonnulli) nam jugulum utrimque claudunt, una ſui parte. ſummitati ſterni arctè juncta. huncque primum arbitror, horum oſſium uſum, impedire ne facile jugulum lædatur, nam à jugulando no-

men habet, uti & ἀπὸ τοῦ σφάττειν Græcis σφαγή. Imo vel ſolæ contuſiones in hunc incidentes locum, detrimentum inferre poſſunt loquutioni, voci, capitis motui, reſpirationi, nam dictis actionibus qui famulantur muſculi, ab hoc loco & quidem hiſce oſſibus initium ſumunt. Locus periculoſiſſimus, cui præterquam quod ſecuritatis cauſâ jugularia hæc appoſuerit oſſa natura, etiam inſignem eodem hoc loco collocavit glandulam, mollitie ſua ſecuritatem allaturam vaſis hic concurrentibus (enumerata ſunt capite de ſterno) ne velidis corporis concuſſionibus rumpantur, impedientem, θύμος hæc Græcis, uti & ipſe locus vicinus principi viſceri, in quo θυμοειδὴς δύναμις. Obſervavi in non uno, cum ira præter ſolitum excandeſcerent, glandulâ hac ſanguine, præter ſolitum turgidâ intumuiſſe juguli locum. Quin & *Furculas* hæc eadem dicunt oſſa vulgo Anatomici ſcriptores, puto quod velut fulcra pondus ſuperiorum ſuſtineant brachiorum. Is namque eorum primarius uſus, impedire nimirum ne brachia (vaſta & ponderoſa ſatis membra) thoraci innitentia onere ſuo liberum ejus impedirent motum. ita namque eſt, cum erectus ſtat homo brachijs recta deorſum pendulis, ne quidem thoracem tangunt, impedientibus id furculis. quo autem liberior thoracis motus, eo ventilato debitè cordis calore, præparato-

que ei affuso aëre, vitali melius eſt facultati, indeque firmior vita, imo longævitas. Notat id 4. Generat. Animal. cap. 10. Ariſtot. omnium animantium, elephanto excepto, longævum maximè hominem aſſerens. Certè, ſimiam ſi excipias, perpauca animalia, hiſce oſſibus donata conſpicies. quibus ob id ſecus ac homini thorax anguſtus, acuminatus, & vere (ut cum Plinio loquamur) carinatus. Oſſicula incurva ſunt, bis ſinuata, ac toties arcuata. attolluut autem ſe prope jugulum, majore uti robore externas quæ in hæc loca incidunt violentias ſuſtinere poſſint. hic clavicularum locus ὑποσφάγις Græcis dicitur, oppoſitus, is dico acromion ubi tangit clavicula, ἐπωμίς. Non tamen me latet vocem illam plura ſignificare, quod Gal. refert comm. 1. *Hipp. de Articul.*

CAP. VI.

De Oſſe Cordis.

ENumerata hactenus thoracis oſſa ordinaria exiſtunt (de XII. namque thoracis vertebris, quibus coſtæ articulantur, nihil hic dico, ne actum agam, examinavit namque eas caput 1.

 partis

partis 2.) in cunctis subjectis eodem se habentia modo, certa intentione à natura producta ut nimirum ijs in commodum hominis uteretur. si quæ interdum reperiantur, quæ naturâ aliud agente, nullo instituto, neque, commodum sed incommodum potius allaturæ partes producantur, ossium nomen illa non merentur. tale est quod cordis os à nonnullis describitur. Qui hujus mentionem fecit, primus Arist. fuit 3. *de part. Animi* cap 8 hæc " inquiens: *in nullis animantibus os in corde reperire est,* " *præterquam in equis & bubus nonnullis.* Carpitur à Galeno 6 de usib. part. cap. 19. non in ijs solis, verum in omnibus animantibus aut in corde os, aut quid ossi simile reperiri, dicente. qui etiam idem repetit. 7. *Anatum. Administ.* ubi occasionem inventi " hujus ossis refert. *Nuper Romæ elephas*, inquit, " *maximus jugulatus fuit. ad cujus dissectionem, quum* " *plærique omnes medici in Anatomicis parum versati con*" *venissent, inter eos ac me orta dissensio de corde, & qui*" *dem duplex: prior, num duobus an verò tribus cor ven*" *triculis præditum & num os in corde reperiatur. quod* " *posterius ut evidentius ostenderem, simulac cor exemptum* " *à Cæsarianis coquis fuisset, misi familiarem quendam roga*" *tum, os è corde exemtum mihi communicaret, quod ab* " *ijs factum, & etiam hodie à me servatur, vastæ adeo* " *magnitudinis. ut quis videns, vix credat, tantæ molis* " *os in corde hærere posse.* Hæc ille, qui nimium libe-

ralis

talis in hoc osse, uti parcus nimirum Philosophus. Pace etenim Galeni dixerim, neque in homine (cujus causâ omnia reliqua creata) neque in simia os aliquod, aut etiam ossis vestigium reperire est. in nonnullis tamen conspici, dubitari non debet, nam de elephante Galeno credimus, quin & in cervo (animali siccissimo) reperiri notissimum est, utpote quod adversus pestem ac malignitatem commendari, ac in quotidiano esse usu, notum est. Inter neotericos, alij hoc os agnoscunt, negant alij. cum posterioribus ego sum, sed hac cum caucione. Certâ intentione os in corde produci falsum est, producatur quam vis per accidens subinde, eodem dico modo, quo laryngis cartilaginis ossescere in nonnullis (non omnibus) videmus, uti & epiglottis, scutiformis sterni cartilago, cartilaginea spinæ vertebris interposita ligamenta, uti coccyx in annosis & calidis, os uteri in nonnullis foeminis. Nimirum multijugâ caloris actione fit, nonnulla uti animantia calidius sicciusque quibus contigit cor, fit inquam interdum uti initium caudicis magnæ sive aortæ arteriæ ubi è sinistro prodit ventriculo (loco valde æstuante utpote in quo lares ac focum caloris esse voluit natura) adeo induretur, osseam uti induat duritiem quod ipsum tamen os, certâ intentione productum, vocari nequit. Etenim neque in vitulino corde unquam reperiens, bubulum

licet majore parte oſtendat, quod nondum ſatis caloris efficaciam expertum fuit illud cor. Quum tot reperiantur apud Neotericos exempla rara eorum, quæ præter ordinariam naturæ legem evenire ſolent, eorum tamen nullus os in humano corde repertum notat, quum tamen eorum alij calculos dicant in cordis ventriculis repertos, vermes, caruncculas, ſævum ſimiliaque. Ego in ſiniſtro cordis ventriculo foeminæ, quæ inopinâ morte ſubitò exſtincta, inveni ſubſtantiam vitello ovi ita ſimilem, ut juraſſes aliud non eſſe. Sunt qui in pulmone inventa dicant oſſa. Unicum habet exemplum Coiterus, notans Fallopium in ſubjecto humano Patavij diſſecto, obſeruaſſe, aortam arteriam totam oſſeam redditam. Columbus, ſeptem ventriculos cordis diſtinguens, in cartilagineum converſum vidiſſe ſe notat. Natura nihil niſi certâ intentione ac deſtinato producit ſine, unicus autem eï ſemper finis, frui producto, inde commodum uſumque percipere: at vero os in corde ſi imaginari velimus nullum non ſolum commodum, ut contrà incommodum ſit daturum. Oſſium namque natura quum ſit, ut aut fundamento ſint partibus, aut propugnaculo, poſterius eſſe nequit, non enim ambit cor. neque prius, quum potius ſuo pondere cor deorſum ſit præcipitaturum, partiumve duritie mo-

motus libertatem ei erepturum. Arterijs suum esse naturâ motum eumque à cordis motu seperatum, notum: at quo magis induratur osseaque redditur magna arteria, eo minus motui efficitur idonea. Nullum itaque commodum, usum, utilitatem nullam imaginariã hocce os habere quum posset, insuperque fidelissimus controversiarum decidendarum judex, sensus, fidem eï deneget, in numero ossium thoracis, locum eï minimè concedimus.

SCELE-

SCELETI PARS QUARTA
Artuum continens ossa.

Cap. I.

Quid Artus eorumque divisio.

Diverso respectu diversimodè distribuerunt humanum corpus Veteres. Nonnulli in partes diduxerunt quatuor. Caput, Thoracem, Abdomen, Artus. In tres alij. Principes, Inservientes, Proprij juris. Sunt qui in duas, Similares, ac Dissimilares. Alijs aliæ placuere partitiones. Nos hoc loco ijs accedimus, bifariam universum qui secant corpus, in Truncum ac Artus. Truncus Græcis ὅλμος, ijs est aut corpus, capite, brachijs cruribus mutilum aut à quo ablatum solummodo caput. Virgilius hac mente.

—— Iacet ingens littore truncus,
Avulsumque humeris caput, & sine nomine corpus.

Idem alibi.

Tum caput ipsi aufert domino, truncumque relinquit.

Vox à Botanicis petita, illis namque arbores truncari dicuntur. Idem Poëta.

Vulnera siccabat lymphis, corpusque levabat
Arboris acclivis trunco,

Inde Scriptores quod parte aliquâ truncatum seu mutilum, truncum dicunt: Ovid.

Non habet infelix quæ matri brachia tendat
Trunca, sed ostendens dejectis vulnera membris
Aspice mater ait. ——

Artus festo, partiũ corporis inter juncturas connexio, quod inter se partes arctentur seu arctè jungantur, sic dictas putanti. Si pontinus à membris ita distinguit, ut artus ossa sint cum nervis & venis, membra caro artus tegens Hincque membranam dictam vult extimam membri partem. Rectius alij, artus in homine vocantes majora longioraque membra à trunco dependentia. Quid si vocis originem à Græcis petamus, quibus τὰ ἄρθρα ea sunt, quæ in hisce membris conspectui maximè se præbent loca. Articulos Latini appellant. Quæ latinis Artus, κῶλα Græcis, quoniam membra hæc velut periodis dissecta apparent. Familiare id scriptoribus colis distinguere periodos, à κολύω impedio, sistitur enim ac impeditur ibi lector,

eodem modo & artuum ossa singula ab occurrentibus impediuntur articulis. Artus duplices, superiores, inferiores. Superioribus *Brachiorum* denominatio dictione imponitur Græca: inferiores Latinis *Crura* dicuntur.

CAP. II.

Artuum Superiorum ossa describens, humeri, cubiti, ulnæ, manus.

AB artubus superioribus sumo initium. hi *Bráchia* Scriptoribus, quæ vox Græca, βραχίων enim illis, idque à brevitate, ἀπὸ τῆς βραχύτητος, erectus namque consistens homo (hoc ei familiare) ni se inclinet brachijs terram attingere nequit. hinc ut flexile esset corpus, flexilis ei concessa spina. Duplex porro brachij significatio, ampla, àrctaque. Laxâ describitur āb Arist. 1. Hist. Anim. cap. 15. â Gal. in 1. Hipp. de Articul. ut sit universum illud, quod à summo humero ad extremam usque manum; seu digitorum excurrit apices. hac significatione non raro χεῖρ dicitur Græcis, Hippocrat. χεῖρας ἄκρας vocat, Significatione arctâ, proparte eâ accipitur, quę inter cubitum summamque manum media est. Priore significatu accipientes brachijs singulis xxx. ādscribimus ossa, quę tripar-

tripartito dividimus, in ea quæ humerum, quæ cubitum, queque summam constituunt manum. *Humeri os* ἀγκὼν Græcis, ita dictum quod unà humerum constituat: monitum hoc in scapulæ historiâ. Ossa hæc scapulas & cubiti flexuram intercedunt. Etiam *Armi*, quod ab hisce arma dependeant. Apud Poëtam passim obvia loca. hoc à nonnullis omnium corporis ossium longissimum post os femoris statuitur, quum tamen à tibiâ ac fibulâ superetur. Articulatur superius cum scapulæ cervice, qui locus ὦμος græcis, jungens caput suum superficiario ejus sinui. addita valida ligamenta, ne facile loco suo moveretur, impedientia: additi insuper insignes illi duo scapulæ processus, alter spinæ, rostro corvino comparatus alter. Figura ejus unicuiq; licet obvia, quia tamen eleganter à Celso depingitur, ejus audiantur verba cap. I. lib. 8. *Hinc* (à scapulis nimirum) *humerus incipit, extremis utrimque capitibus tumidus, mollis, medio teres, durus medullosus. Superius humeri caput rotundius quam cetera ossa verticulatis scapularum ossibus inseritur, at inferius duos habet processus, inter quos quod medium est, magis etiam extremis partibus sinuatum.* Dicit *huic humerum incipere* nimirum à scapulâ quam descripserat. quasi dicat ubi scapula desinit, seseq; jungit os brachij primum ibi humerus est. ut humerus nō sit certa corporis pars sed locus tantū, sic dictus Sipōtino, ab humo, qui fe-

rendis uti oneribus, ita & hic locus aptus est. Itaque quum hoc os humerum dixerit Celsus, humeri os intellexit. *Extremis utrimque capitibus tumidum* addit, non tamen ignoravit, superius ei unum solummodo, inferius vero duo esse capita. *Molle ac durum* hoc vocat os, quod ne quis in tanto Authore carpat, is sciat, molle eum hoc statuere os respectu copiosæ, quam in se habet, medullæ, idcirco namque addit, *medullosum*, durum vero substantiæ osseæ ejus fistulæ quæ circumposita, respectu. Scapularum ossa *verticulata* vocat, verticibus prædita ac si dicat credo eum per vertices cervices horum intelligere ossium, quas post femorum ossa admodum conspicuas ostendit. Notandum in hisce ossibus, circa verticulata eorum capita (ut cum Celso loquamur) duos exiles apparere tumidos processus, mediam ostendentes rimam. hi illis respondent in femorum ossibus processibus, qui trochanteres Anatomicis dicuntur, circum actioni eorum dicati. Inferior hujus ossis pars in capita partim, partim in conspicuos desinit sinus, de quibus in eorum quæ succedunt ossium dicemus descriptione.

Hæc in singulis brachijs bina, secundam superiorum artuum constituentia partem, incipiunt, ubi jam explicatum desinit, manusque finiuntur. Cubiti ossa hæc Scriptoribus, idque priore significatione,

ficatione. tria namque indicat cubiti vox, eminentiam illam sive acumen in brachij medio, cui innitimur, ita Hipp. Gal: teste 12. de us. part. c. 2. etiam hac significatione græcis sumitur, cum κυβιτίζειν dicunt pro eo quod est cubito ferire, inde ossi nomen inditum sunt qui velint, cubitumque à cubando vocatum, quum origine Græca vox sit, Græci etymologi à κύπτω, quod est obstipo sum capite. Ita namque illi qui meditabundi cubito innituntur. Interdum horum ossium alterum, majus nimirum & humero articulatum, quod *Ulnam* Latini. Spatium illud quod inter carpum & flexuram cubiti medium, ossibus constans duobus, majore & minore. quod majus πῆχυς Græcis, *Cubiti os* per excellentiam, tum & *Vlna* Scriptoribus. Fuit veteribus mensuræ certum genus ab hoc osse desumtum, cujus apud authores passim mentio. Evang. Matth. cap. 16. *Quis vestrum sollicitudine suâ cubitum* unum (πῆχυν ἕνα) *staturæ suæ addi potest?* ita veteres significaturi aliquem multum profecisse, juxtà cubitum profecisse dicebant, hoc est, non digitis, verum cubitis. Fuit autem Antiquis tripplex cubitus, major, minor, geometricus. Major dicebatur cubitus regius, continebatque pedes duos minus uno digito (pes palmis constabat quatuor, totidem digitis palma). Minor is est quo Romani vulgo usi, constat palmis sex (Vitruvius testis

lib. III. cap. I.) aut ſeſquipede. Geometricus, ſex noſtris, conſtat cubitis, uti Origenes ſuper Geneſin annotat, & Auguſtinus. I. Quæſtion. ſuper eundem locum. Ulna humeri oſſi articulatur, idque omnium fidiſſimâ conjunctione quæ per gynglymon fieri dicitur Anatomicis. Habet namque articulationis loco duo capita quæ utrimque ſinubus humeri oſſis ſe jungunt, intermedioque conſpicuo admodum ſinu ejuſdem oſſis caput admittit, ſicque cum movetur in modum trochleæ volutatur, verum non niſi rectis, flexionis dico & extenſionis motibus, ne ulterius quàm in rectum extendi poſſint hic locus, imo univerſum brachium. Eandem ob cauſam eſt acuminatum ac protuberans hujus oſſis caput, occurrens cum fundum ſinus attingerit ipſi ſolido humeri oſſi, ibi namque ſiſtitur. Parte oppoſitâ unico ſolummodo loco manum tangit, & tangit tantũ non articulatur proprie. Producit enim hic exiguum acuminatum proceſſum impedientem ne in latus ſe movens manus excidat aut nimium delabatur. Quid ſi dicamus etiam robur manui addi ab hoc oſſiculo? γραφοειδῆ & στυλοειδῆ hunc vocant proceſſum à figura Græci. Intermedio loco, intervallo conſpicuo diſtat hòc os ab oſſe oppoſito, cum quo partem ſecundam artuum ſuperiorum conſtituit haud aliter enim ſe res habet, ac ſi divaricata ad cubiti initiũ, coire hæc oſſa iterum volu-

iſſet

isset natura ad manus initium, ceterum rimâ insigni à se invicem distare, causam existimo, ne ponderosa nimis existerent brachia, uti in coxendicum aut pubis ossibus, malarum, tibiarum, costis factum à natura cernimus. Non deesse scio, qui motus radij causa id factum existiment, quod non videtur, non enim fuisset difficile naturæ unico eóque solido ac integro osse hunc motum perficere, ut non dicam, in tibijs eandem conspici rationem. Alterum os cubitum constituens, jam dicto brevius, sed latius firmiusque Græcis κέρκις, ἀπὸ τοῦ κρέκειν, literarum transpositione, à pulsando nimirum. Sicuti citharâ canens dicitur κιθαρῳδὸν κρέκειν, eodem modo manus ab hoc osse pulsata ita movetur. Latinis *Radius* quod in modum radij moveatur, & cum eo manus. hinc peculiares accepit hoc os musculos, radij musculos vocatos, quibus cum cubiti osse nihil cummune. movent hi radium cum manu semicircularibus duobus motibus, quiescente interim quæ intercedit ulnæ cum humero articulatione. Nam illa gynglymo quum fiat, rectos non nisi motus peragere potest. contra ac radio, cui superius unicum, idque verè orbiculare datum capitellum, insignitum sinu conspicuo quo, tangens alterum ex humeri ossibus caput, ea ratione circulariter à musculis tractum circumagitur. Parte opposita latescit, & ubi cum ulna denuo coit, insignem

ostendit

oſtendit ſinum, qui carpum admittens, univerſæ manui tutam præbet ſtationem. In illo namque rectis flexionis ac extenſionis motibus quoties aut per ſe, aut una cum ulnâ movetur cieri ſolet, circularibus vero quum radij motum ſequitur. Etiam hoc os loco jam dicto radio ſimilem exilem exhibet proceſſum, manum ſiſtens ne in latus nimium prolabatur, tum & ſecuritati tendinis muſculi primi manum moventis, conſulens. Itaque Radij is uſus, ſummâ uti celeritate, cum res exigit manus in orbem agatur, ſicuti ulnæ officium rectius eam motibus ciere. Cubiti oſſibus ea manum quæ conſtituunt, jungunt. *Manus* à manando ſic dicta, quod ex brachio promonare videatur, aut quod ex ea digiti emanent. Græcis χείρ, χείρω, capio illis eſt, ἀπὸ τὸ ῥᾴον χεῖσθαι· itaque a facile capiendo, nam manibus capere & arripere obvia ſolemus. Hunc uſum commodè præſtare uti manus poſſet, explicatos diſcretoſque fecit digitos natura, quo etiam minutiſſima quæque capere, fingere, formareque poſſimus. Quod reſpiciens Anaxagoras organorum organum manum vocare ſolebat, dicereque vel ſolo manuum reſpectu hominem mereri prudentis ſolertique animalis nomen, Nihil etenim pene ingenij ſolertia aut acumen excogitare poteſt, manibus quod non aptare perficereque homo queat. Inde videntur Scriptores ſacri Summi Dei admiranda

da expressuri opera, manuum uti voce. *Manus tuæ fecerunt & formaverunt me*, inquit Psalmista. Idem, *Dexteta Domini excelsa est, dextera Domini fecit fortitudinem &c.* In tres eam secant partes Antiqui, καρπὸν, μετακάρπιον, δακτύλους. Κάρπος quasi κάρφος, dialecto κάρφω deprimo & humilem facio. est namque carpus manuum initium, partes autem brachiorum maximè demissæ ac infimæ manus. Hanc priorem manus partem latini *Brachiale*. Celsus lib VIII cap. I. primam vocat Palmæ partem, sumendo palmam pro universâ interiore manus superficie, quæ in volam ac digitos dividi solet. Itaque carpũ, sive brachiale, sive primam palmę partem dicas, idem dixeris, modo illud scias, eam primam esse manus partem, quæ brachij sive cubiti extremum, statim ac immediatè sequitur. Constat hæc ossiculis octo, sibi invicem per synarthrosin junctis, muccilaginis cartilagineæ intermediæ ope. Obscurè nam quo licet hęc prima manus moveatur pars, motu tamen prorsus non destituitur, uti patet, quum cauam volam effingimus, aut in pugnum cogimus digitos. Referre mihi solebat vir. Clarissimus D. Johannes Huernius (præceptor quondam noster, de nobis & Academiâ hac maximè meritus, & cujus memoria apud nos semper futura sacra, dum supereſt Lachesi, quod torqueat) Chirurgum se novisse non imperitum, qui facili ratione loco mota

hæc oſſicula reſtitueret, nimirum digitis brachioque in diviſa tractis ac diductis tenſum carpum palmâ præhenſum valide premebat, ſicque in ſuum redire locum faciebat. Horum oſſiculorum uni (quod mihi quintum fuerit) incurvus additus proceſſus, conjunctioni tendinum in volâ concurrentium inſerviens, eorum dico, qui digitos flectunt.

Secundam manus partem μεταχάρπιον Ariſt. *Poſtbrachiale* Celſus vocat. Huic alij non niſi quatuor, quinque alij adſcribunt oſſa. Hi Plinium Authorem habent, qui lib. XI. cap. 43. pollici non niſi binos adſcribit articulos: quod, ſi verum, quinque relinquenda erunt Poſtbrachiali oſſa. Verum *Pollex* quum à pollendo habeat nomen, unuſque hic tantum poſſit, quantum ſimul reliqui, inclinarim in eam potius ſententiam etiam Pollici ternos deberi articulos, adſcripſerimque meta carpio oſſa quatuor. Oſſicula ſunt oblonga à ſeinvicem diſtantia, ſingula ſingulis objecta digitis. Intermediæ inter hos rimæ, muſculos continent digitorum qui motibus inſerviunt. internè hæc oſſicula leviter velut excavata cernuntur, protuberant paululum extus, quod ob majus robur factum.

Tertiam manus partem δάκτυλοι *Digiti* conſtituunt, ſic dicti quaſi decenter juncti, ſicuti παρὰ τὸ δέχεσθαι à capiendo δάκτυλοι. Horum ſingulis terna adſcribimus

mus ossicula. Quorum ordines φάλαγγες Græcis, quod ordinati dispositique haud aliter, ac in acie (quæ φάλαγξ Græcis) milites. quæ priora metacarpio vicina, προκόνδυλοι Græcis: media κόνδυλοι: postrema μετακόνδυλοι, etiam ῥιζωνύχια, quòd ab hisce unguium oriantur radices, Galeno. Qui non illepidè quærit 1 *us. part* cap. 23. quur plures ficti digiti, tum & quur separati non conjuncti à naturâ fuerint? Causam dat, ut apprehensioni redderentur hac ratione idonei, exiguum enim si capiendum sit corpusculum, digitos conjungimus & in arctum contrahimus, si quod se offert, majoris fuerit molis, diductione dilatationeque digitorum amplam capacémque efficimus manum, hæc fieri nequirent. compacti seu conjuncti, neque plures numero si extitissent. Ita lib. 1. cap. 12. ossa quur digitis tributa, & quur plura numero quærit, locus lectu non indignus, uti & is quem habet. 1. us. part. cap. 14.

Digitorum qui loco ac ordine primus latinis, à pollendo *Pollex*, tantum namque hic unus pene manui confert, reliqui quantum simul juncti. hac de causâ unus hic totidem pene donatus musculis, quot reliquis simul obtigere. Græcis à magnitudine seu crassitie μεγάς. Etiam ἀντίχειρ Promanum ac si dicas (in pede Hàllux & Halluchus), notant id veteres, quibus in more, militiâ abdicare eos pollice

 qui

qui læsi tanquam ad capessenda arma iuidoneos. De Augusto scribitur, eum, nobilem quendam bonis omnibus privasse, qui ut fraudem legi faceret, filiis suis ad expeditionem ituris pollicis ademerat usum. Ita Athenienses captos Æginetas, truncatis dimisere pollicibus, ne in posterum ipsis molestiam crearent. De hoc digito veteres notant, illud ei peculiare in esse, ut si indicare velimus, nos alicui faventes esse, pollicem ei ostendamus. Plinius notat lib. 28. cap. 2. *Assensum, inquit, & favorem alienæ victoriæ exprimebat etiam pollex sublatus.*
Quo respicit Horat. Epist. lib. 1.

Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

Secundus λιχανὸς Græcis, à λιχμάσθαι lingendo sive lambendo, uti volunt Etymologi. Etiam δεικτικὸς, latinis *Judex*, quod ad indicandum, aut etiam minandum nobis usui sit. Notum est Poetæ.

Pulchrum est digito monstrari.

Hinc etiam *Demonstrativus*. Etiam *Salutaris*, etenim hoc labijs appresso silentium veteres exprimebant, quo nihil homini salutarius.

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.

Ita pingebant silentij Deum Harpocratem labium hoc prementem digito, ne Isidis & Serapidis mysterium evulgaretur: Ovid. Meta. 9.

Quique premit vocem, digitoque silentia suadet.

Qua de re egregiè Augustinus 5 de Civit Dei. Tertius

tius ſeu à pollice ſecundus, μέσος, medius vocantur, tum & καταπυγῶν, *Infamis*, *Impudicus*, *Verpus*. *Famoſus*. Fuit enim veteribus deſpecti hic ſemper habitus. contemtum innuenter hunc proferebant, adeo quidem in proverbium uti abierit, medium oſtendere digitum, pro ſubſannare, contemnere. Mart.

Ridete & digitum, porrigito medium.

Idem ——*Oſtendit digitum ſed impudicum.*

Iuvenalis —— *cum fortunæ ipſe minaci*

Mandaret laqueum, mediumque oſtenderet unguem.

Qui ordine quartus, à ſtatione παράμεσος hunc *Medicum* Latinis vocatum volunt, quod priſci medici eo pharmaca miſcere ſoliti fuerint. Idem hic *Annularis*. Poſtremus μικρός, *Parvus*, *Minimus*, *Auricularis* quod aurium ſcalpturæ hic inſerviat.

CAP. III.

De Artubus Inferioribus & primum de Oſſibus Coxendicum.

INferiores Artus ea voco membra, ad corporis diremtionem quæ initium ſumunt. bifurcationem dico, hi namque Artus, Græcis μέρη à μείρω, quod partior, divido, ſecerno. Latinis à currendo

Crura: Sunt velut pali, baſes, & fundamenta molem corporis totius ſuſtinentia. Oſſibus conſtant LXII. quæ in quinque divido partes. Inter hæc primo loco quæ occurrunt, lata illa ſunt, oſſi ſacro utrimque juncta, quæque ſimul eo pacto conſiderata vaſculum aut lagenam referre videntur, conſpicuam dico cavitatem inſigniter vacuam, cui natura incluſit non contemnendam fiſtulæ inteſtinalis partem, utriuſque ſexus urinariam veſicam, uterum denique cum teſtibus, vaſiſque ſpermaticis muliebribus. Oſſa hæc antiquitus nullo certo donata nomine; ἀνώνυμα ob id dicebantur, diſertè id notante lib. de Oſſib. cap. 19. Galeno. Poſteriores tribus diverſis horum oſſium locis ſive partibus, diverſas tres indiderunt voces, *Coxendicum, Ilium, Pubis* oſſa vocitantes. *Coxendicum* & *Coxæ* vox univerſaliorem ac latam, ſtrictam interdum particularemque habet ſignificationem. Latè ſumta univerſa hæc denotat oſſa. tali mente Græcis ἰσχίον & plurali voce ἰσχία, idque uti Etymologi cenſent παρὰ τὸ ἴσχειν τοὺς καθημένους quod ſedentes ſuſtineat. immobilia namque hæc per ſe ſunt oſſa ut ſedentibus nobis, hiſce velut firmæ immotæque baſi inniti corporis ſuperiora poſſent. Nam quod movetur quieſcente aliquo movetur, tam autem inferiora quàm ſuperiora circà hæc moventur oſſa. eo reſpiciens Ariſt. inquit. hiſt. Anim. lib. 4. cap. 10.

ἰσχία

ἰσχία δὲ ἔχει τῶν τετραπόδων οὐδέν, *quadrupedum nullum coxendices habet.* nimirum eo fine ac usu, ut ijs insideant. Ni sic interpreteris, falsitatis Aristotelem redarguent pleraque bruta coxis donata, quamvis non ita latis uti homo, quia opus non erat. Strictiore significatu coxendicis vox locum tantum in hisce exprimit ossibus, eum nempe, cui femoris os se articulat. Ea mente ἰσχιὰς νόσος, græcis, coxendicis morbus & dolor latinis, talique mente Hippocrati ac Galeno vox hæc non semel sumitur, cum nimirum noxia doloremque excitans materia κοτύλην illam, quam hæc habent ossa invadit. Coxæ dolorem vertit Celsus cap. 1. lib. 2. vide Hipp. aph. 22. 3. & Prorrhet. 2. Hinc ἰσχιάδικοι dicuntur, qui hujus loci dolore infestantur, quos Ischiadicos vocant Latini. Acerbi, simulque pertinaces hujus loci sunt dolores, adeo quidem ut hinc atrophia non raro originem trahat, prę dolorum immanitate excarnificatis ægris, tum potissimum eveniens, quum præ hoc affectu corpus aut coxa emaciatur ac contabescit. affectus quem ἰχιαδικὴν ἐπιφθίσιν vocat in Coac. Hippocrates. Acerbos façit dolores nervus, quo major in corpore non datur, huic articulationi adiacens. imo conspicuum inferiori coxendicis parti insculptum conspicere est sinum, in quo nervus ne vacillet tuto quiescit. Tum & peculiare ligamentum sanguinolentum, quod ex centro capitis ossis femoris

in

in ipsius acetabuli centrum infigitur, imo ei velut adnascitur. Hoc purum ligamentum minimè est, sed nerveæ naturæ, quodque sæpe inflammatum æstu sensili significant ægri. Iidem dolores pertinaces, ob insignem acetabuli profunditatem, ligamentorumque huic loco circumpositorum crassitiem, impedientium quominus aut discuti materia possit, aut topicorum efficacia ipsam attingere. Etjam *Ilium* vox hisce tribuitur ossibus. quum verè sint ilia, λαγῶνες Græcis, partes horum ossium laterales & superiores ubi in acutum desinunt supercilium. Is in utroque osse locus λάγον dicitur Græcis (Dorsum & Spina coxendicis, ab acumine Anatomicis) παρὰ τὸ λάπαρον, Laterales namque abdominis partes locis hisce junctæ, ossibus destitutæ verè molles existunt ac ad tactum cedentes. hæc latinis Ilia. sub quibus quum ferantur seminaria, vasa, illis in transitu per peritonæum solutis Ruptura evenire quum soleat, hinc originem traxisse arbitror, ut cui malè volumus, ei rumpantur ut Ilia precemur, hoc est, ut in rupturam incidat peritonæi, seu ut herniosus fiat. Illud obseruavi, Scorbuticos de dolore ilij admodum querulos esse, possitque quis, suspicari, inde nostratibus *Scheurbuyc* vocari illum affectum, quum præ torminibus latera abdominis rumpi, ac discerpi illis videantur. causam puto; quod melancholica illius affectus materia præ

præpondere deorſum præcipitata, ilioque inteſtino qua loca hæc tangit, collecta, ac in flatus verſa (etenim melancholicos flatulentos eſſe notum eſt) diſtentiones, divulſiones, ac ῥήγματα excitet. Vocantur & *Pubis* oſſa, τὰ ἥβης Græcis. ita tamen proprie anterior horum oſſium locus, ubi ſibi invicem per ſynchondroſin unita, conſpicua illa occurrunt hiſce inſculpta foramina. ſic dicta, quod pubi ſubjectus hic locus. Infima enim hypogaſtrij pars ubi pili erumpunt, Latinis Pubes, ἥβη Græcis, ab ἥδω etymologo teſte, delecto nimirum, oblecto, iucunditate afficio. Cauſa nota. Pili quum communiter ante XVIII. annum hoc loco erumpere ſoleant, inde anni illi, pubertatis vocari ſolent quique illam attigerunt ætatem, puberes. Evidens hinc loco cum capite ſympathia, eaque efficax, nam eodem quo in pube, etiam in mento erumpere ſolet lanugo tempore. Accedit, quod hyſtericæ de gutture, tum & vertice, querulæ ſemper ſint. Hæc oſſa quo magis partus tempore dehiſcunt, (quod tamen naturale aut uſitatum ipſis non eſt) eo facilius peragitur parturitio. In more obſtetricibus nonnullis, puellulis primum natis pollice hunc locum premere, ſicque harmoniam hanc diſſolvere, tales mobile ſemper gerunt hoc os, quod autem non coaleſcant ita ſoluta oſſa, cauſam puto, motum, continuumque oſſium ad ſe invicem attritum. Inſignia porro

ostendunt hæc ossa foramina, de amplitudine cum occipitis osse certantia. illa levitatis causa facta puto. errant namque qui per hæc, vasa ferri existimant.

Sunt & coxendicum ossibus profundi, patuli, admodumque conspicui sinus, Acetabula vocant Anatomici, quibus profundiores in nullo ossium cernere est. quod ipsum ne facile hæc syntaxis solvatur, à naturâ factum. Id namque si accidat, claudicet corpus necesse fuerit, utpote cui universa ejus innititur moles. Hisçe enim se infigunt protuberantia ossium femorum capita, quibus insignia addita ligamenta, profunditatem digitorum acetabulorum augentia, quæ res causa, semel soluta hæc compages difficulter reponi uti possit. eadem res causa, ægrè uti, nec nisi magno molimine educi queat noxia hoc loco collecta materia. cauterio non raro opus. Arcta porro horum ossium est cum sacro osse conjunctio, aut coalitus potius (per symphysin namque fit) naturâ tacité ostendente, immobilia hæc debere esse ossa. quin & hæc res satis docet, ossa hæc partus tempore nisi violenter, coactaque non dehiscere. Is namque horum ossium usus, fundamento uti sint corpori. Cui accedit, ut tutam securamque præbeant stationem utero, Vesice, Recto intestino. Hæ enim partes tuto quiescunt in illa quam hæc velut lagenula constituit cavitate.

Argu-

Argumentum efficax, non contemnendam esse dictarum partium dignitatem. Quorum examini finem ut faciamus, illud postremo notamus, licet tres sint distinctæ, quæ hisce tribui solent voces, nihilominus non nisi duo numero esse ossa, aut unicum, si duo sibi invicem articulata simul intuearis, quod monendum, ob eos, qui ex osse coxæ, pubis, ilium distincta numerare ossa solent.

CAP. IV.

Femorum, Genuum ossa proponens.

INferiorem artuum secundam partem Femorum constituunt ossa, à ferendo sic dicta, μῆροι, quod hic corpus dividatur, qua de re jam ante. Hisce longiora ossa corpus non habet. Supernè cum coxis, infernè cum tibijs articulantur. Quâ coxis junguntur, insigne prominensq; caput è conspicuâ producunt cervice. Efferunt se cervices obliquo paulum ab ipsis ossibus ductu, sicque capta promunt. factum id fuit, ut spatio à se-invicem femorũ ossa distarent, eâ ratione incessum faciliorum redditura. Ecentro capitum, teres, sanguino lentonerveum, enascitur ligamentum, quod in acetabuli coxendicis centrum se infigit, de quo in dicti ossis examine, sicuti & de ligamento lato

validoque quod securitati hujus syntaxeos ipsi articulationi circumpositum. Ad cervicum initium duo insignes se offerunt processus, quorum alter altero major productiorque hisce adalligati qui femora circumagunt seu semicircularibus trahunt motibus, musculi, rotundis capitibus in coxendicis acetabulis se volutantibus, nam ad horum motum totius sequitur cruris motus, quiescere namque nequeunt ceteræ inferiores artus constituentes partes hisce se moventibus. Processus hi ab officio τροχαντῆρες ἀπὸ τοῦ τροχάζειν, *Rotatores* eodem sensu Latinis. Ab hisce deorsum si pergas, rotunda ac orbicularia hæc cernere est ossa, ostendentia posteriore sui parte paululum prominentem lineam affigendis musculis dicatam. Intus planè fistulosa ac medullâ referta. Figura ijs non omnino perpendiculariter recta, verum paululum sinuosa, ac velut excisa, &nutans, ac incurva. idque, à se invicem magis hæc uti dissita ossa, incessum non impedirent. Etiam hæc res efficit, femur uti femori imponere commodè homo possit, quod nautas mali summitatem scandentes, quod sartores facere quotidie cernimus. Observavi non seme leos, crura qui cruribus injiciunt, in eorundem incidisse stuporem, compresso maxumo nervo, qui cum per femorum posteriora feratur, pressus liberum animalibus spiritibus denegat transitum. Longa multi jugaque obser-

obſervatio id me docuit, in ijs lue qui infeſtantur venerea, hoc os omnium maxumè illâ infeſtari malignitate. adeo quidem nonnullos ut conſpexerim, à foedâ dicti morbi materiâ carie exeſis ac ſolutis hiſce oſſibus, in ſpontaneam qui inciderint claudicationem. frangebantur illis oſſa hæc, nullâ prægreſſâ externâ violentiâ. Inferius ad genu ubi ventum, duo oſtendunt capita velut inſignia condylomata, intermediumque câpacem parte poſteriore conſpicuum ſinum. is ἰγνὺς Græcis, Latinis Poples. per hæc loca quæ ſe effert vena ἰγνύτις φλέψ, Poplitis vena vocatur Scriptoribus, cujus frequens apud medicos mentio. hanc in nephritide ſecari jubet Hippocrat. inſigni loco aph. 5. ſect. 1. lib. 6. Epid. *Ad renem doloris gravitas urget, cum cibo implentur, pitutamque vomitione reijciunt, ubi vero dolores plurimum exercuerunt, æruginoſa, & levius quidem habent. Liberantur autem doloribus ubi cibi vacuati fuerint; arenulæque fulvæ ſubſident, & cruentam urinam reddunt: femoris, quod è directo reſpondet ſtupor ſentitur. Quietem agere non conducit. ſed exercitationes, non repleri. Juvenibus veratrum exhibere oportet, poplitem cædere.* ἐλλεβορίζειν, γνάμψιν ἰγνύην dicit Græcus textus. Porro articulatio hæc duobus cum peragatur locis, hinc eſt, tibiam quod circumagere nequeamus. Tum & capita hæc poſterius valde quum protuberènt, inde eſt ulterius quam in rectam lineam crura extendere non

valeamus. Reperti tamen circà Novam Zemblam homunciones, utrimque genua qui flectebant, quosque currendo nemo assequi poterat. tripedalis hisce erat altitudo, uti coriacei vestimenti genus, quod mihi domi, ab illis allatum locis, ostendit.

Femora ubi inferius desinunt, duo orbicularia se offerunt ossicula. Hisce artuum inferiorum pars debebatur tertia. præposita hæc quam femoris os cum tibia facit articulationi. Is locus, dicta inquam horum inter se ossium conjunctio, γόνυ Græcis, ad eorumque imitationem Genu Latinis vocatur. Græcis quod flectendo γωνίαν id est angulum efficiat, aut uti nonnulli, ἀπὸ τοῦ κονεῖν, ab humiliando, (Κονέω est ministro, famulor, humilio me) cui namque supplices, locum hunc ei flectere ac in genua procidere solemus, inde Becanus hunc Belgis *knie* dictum autumat, quasi *ken-nie*, id est nihil me posse fateor. demisso namque corpore, tali qui sunt positu, totos se arbitrio ac potestati ejus cui se demittunt, tradere fatentur. Hinc in Sacris usitatus hic loquendi modus: *In nomine Iesu flectetur omne genu. Vivo ego, inquit Dominus, quia mihi flectetur omne genu.* Anne hic mos ille natus tangendi genua, quibus reverentiam exhibere volumus, videtur sane. anne hoc ævo solum in usu? Veteribus usitatum notant passim Scriptores. Virgil:

Et

Et genua amplectens effatur talia supplex.
Claudian: de raptu Proserpinæ,

——Genubusque suos cum supplice fletu
Admovere manus.

Evidentissimo insignique hanc notat consuetudinem loco Plin. lib.xi. cap. 45.

Hominis genubus quædam & religio inest, observatione gentium. hæc supplices attingunt: ad hæc manus tendunt: hæc ut aras, adorant. fortassis quia inest ijs vitalitas. namque in ipsa genu utriusque commissurâ, dextra lævaque à priore parte, gemina quædam buccarum inanitas inest, quâ perfossâ, ceu jugulo, spiritus fugit. Locus notandus, anne hinc usitatum Judæis crurifragium instituere in ijs qui cruci affini, quum extinctos eos vellent? & num illis diffracta genua? Scio in historia crucifixionis Saluatoris Christi tibiarum, crurum fieri mentionem, sed annon vocula σκέλη qua Evangelista ibi utitur, etiam genua significat? Jam, quid illa Plinij verba volunt *gemina quædam buccarum inanitas inest*? quid buccis cum genubus? dicam. Is embryonis in utero situs, crura cōplicata uti habeat, calcibus natus, genubus genas tangens. nec desunt, ipsos oculorum thalamos ab orbicularibus hisce ossibus in utero effingi qui putent. Certe insignis genubus oculisque intercedit sympatheja, adeo ut in genua provolutis facillimè lachrymæ erumpant. nec desunt à genis qui (de

quorum ossibus a nobis dictum cap. 9. partis. i.) genua nomen traxisse existiment. Ab hac itaq; articulatione ossa hæc Genuum ossa vocari ceperunt. propriè quamvis Osteologis, ipsa horum ossium conjunctio Genu, γόνυ dicatur, os vero huic loco impositum, ἐπιγονίς. idem à figurâ μύλη *Molæ os* (molari lapidi quod non absimile) latinis. Etiam *Oculus genu*, *Genu Rotula*, *Os scutiforme*. Vulgo. *Patella* Authore Celso cap. 1. lib. 8 quam vocem origine Græcâ arbitror, ἀπὸ τῆς πλατύτητος à latitudine derivatam. Ossiculorum horum primarius usus, ut conjunctionem ossis femoris ac tibiæ tegant. subest namque huic gemina cavitas, anterius una, una item posterius, in quibus vitalitatis non parum ab Antiquis poni jam ex Plinio audivimus. Quæ anterius se offert cavitas, lentâ tenacique repleta cernitur muccilagine, cujus ope lubricum hunc reddit locum natura, neve præ frequenti ac pene continua in quâ hic versatur locus agitatione siccatus motui impedimentum adveniret, cavet. Imitari id artifices cernimus, organa sua motui destinata ungine oblinentes. Vidi (neque semel) tumore hic oborto, apertâ ruptâve vomicâ, lentorum hunc se effudisse, arbitrantibus imperitis chirurgis, purulentam esse, quam locus eructabat, materiam, quam ob id omni ope exprimendo exhaurie porro adnitentes, genu reddebant immobile. Etiam in hac articulatione arthritidis

ea fieri ſolet ſpecies quam gonagram à loco Græci vocant, cui ſcorbutici obnoxij admodum, ut ob id σκελετύρβη is dicatur affectus Scriptoribus. Eſt namque lieni (in ſcorbuto laborant) ſingularis cum genubus conſenſus notat in Mercatore Plautus.

Genua hunc curſorem deſerunt, perij
Seditionem facit lien.

Hac de cauſa curſoribus adimere lienem in more fuit veteribus. Plinius notat l. 11. ca. 37. *Peculiare,* inquit, *curſus impedimentum, quamobrem curſoribus inuritur, quin & per vulnus etiam exemto liene vivere animalia tradunt.* ne cui fabuloſum videatur, quod de Turcicis curſoribus hodie narratur. Videanturque hanc ad rem exempla apud Rouſettum ſect. 5. cap. 5. de partu Cæſar.

De genuum hoc affectu loquitur Hipp. aph. 20. 4. *quibus non febricantibus, genuum accidit gravitas, eos medicamento per inferiora trahente indigere ſignificatur.* Hæc illa laſſitudinis ſpontaneæ ſpecies, quam tenſivam Scriptores dicunt. Ita huc facit aph. 57. 7. *Si ſuperiorum partium aliqua doluerit, ſuperveniens genuum dolor ſolvit.* Ejus exemplum apud Hipp. videre eſt 7. Epid. in Cleocho, qui præ nimio exexcitio melliſque uſu ingravitatem imbecillitatemque genuum inciderat. Videatur & hanc ad rem locus Coac: ſect. 1 aph 31. *Convulſio in febre, manuum ac pedum*

terrifici laboris mali. Loquitur ibi de imperfectâ crisi, symptomaticâ nimirum. Quia namque in superioribus non fuit cocta materia, parum spei, eam in genubus coqui posse, locis exsanguibus, procul à caloris foco dissitis. Non tamen semper esse malos post crisin apparentes in genubus tumores, ejus qui in Dealcis horto decum bebat historiâ patet, Epid. 3. ubi quum Hipp. dicat *genua & tibia indoluit*, hoc in comm. addit Galen. *genuum dolores quum humoris morbifici deorsum inclinantis signa sunt, in bonis censere oportet.* Patella porro nulli ossi propriè articulatur, tantum adhæret cavitati quam femur cum tibia concurrens constituit, idque validi ligamenti ope, quod in modum latæ menbranæ hunc locum cingit. Hoc violenter distorto, interdum loco movetur id os, quod quo pacto restitui debeat, ab Hippoc. explicatur circa finem lib. de Artic. in quem commentaria suo dabimus tempore. Frangitur subinde hoc officulum, id quibus accidit, claudicant toto vitæ tempore. Notat Paræus ca 22. lib. 24. neminem se unquam vidisse non claudicantem cui fractum hoc os fuerat. causam puto, quod qui à fracto osse producitur callus articuli capacitatem replens, motum tam femoris quàm tibiæ ossium impediat.

CAP. V.

Tibiam cum Fibula prosequens.

INferiorum artuum quarta pars Tibiam sibi vendicat. Cujus vocis una generalior, particularior alia significatio. Generaliter universum illud denotat crurum spatium quod inter genu & pedem medium, duobus constans à seinvicem intermediâ rimâ (levitatis puto causâ) dissitis ossibus. Horum alterum, majus nempe, latius, acuminatum anterius. hoc κνήμη Græcis à κνάω quod scabo, scalpo, ita namque solent bruta acuminata hujus ossis parte, quæ *Spina tibiæ* osteologis. Huic inducta si solvatur cutis, ægrè solidescit, nam & excarnis & à corde, caloris fonte, remotus est locus, Etiam illud experientia testatur, hujus loci solutiones continui pinguia respuere, causa, sub cute immediatè quod subest os topica naturę suæ exposcit analoga, sicca dico. Quæ indicatio (à partis nimirum idiosyncrasia) tantum apud Hipp. potest, ut capitis vulnera etiam vino ablui lib. de vulner. capit vetet. Inter alia quæ in Jove carpebat Momus etiam hoc erat, quod carnosas suras huic acuminatæ anteriori tibiæ parti non adposuisset. Latinis hoc os *Tibia*, à tubâ uti Etymologi : quum pastorales

tibiæ omnium primo ex brutorum hiſce oſſibus paratas velint. Gracilius alterum, Græcis περονὴ, à πείρω quod ipſis eſt tranſadigo, perforo, transfodio, nam eam ad rem, ratione acuminis, idoneum videtur. *Fibula* latinis, voce, puto à Græcorum φίβλη ſumtâ, quod gracile ſonat, nam tales eï figura. Tibiæ ſuperius duo ſinuoſa capita, eadem ſinubus excipit protuberantia oſſis femoris, cui articulationi patella præpoſita. Fibula femur non tangit, ſolummodo extimo lateri tibiæ velut adjacet, ſinum namq́, ibi oſtendit, cui fibula protuberante ſe immittit capite, ſicque, circumpoſitis innititur vinculis. Inde à ſe invicem divortium facientia hæc oſſa, non ante coeunt quàm pedem utrumque attigerit: ibi namq́ue ſinuoſa inſculpta tibiæ rima, in quâ fibula quieſcens, ulterius adhuc ſe exſerit, producens caput ſive proceſſum, qui cum oppoſito tibiæ proceſſu Tali os, amplectitur. Tibia eodem loco amplam inſignemque oſtendit cavitatem, oſſis tali cauſâ exſculptam, cui utrimq́ue, quos dixi, adſtant obices, protuberantes inquam tam tibiæ quam peronæ proceſſus, fulcientes dictum os neve facile ſuam deſerant ſtationem, impedientes. Exſtantes hi nodi σφύρα Græcis, *Malleoli* & *Taleoli* Latinis. Admiranda profecto in ijs naturæ ſagacitas, videns namque ita ſe formaſſe hunc articulum non niſi unico loci puncto pedem uti tangat corpus, iſq́; doſlocatus

neceſ-

necessario secum claudicationes, incessusque traheret impedimentum, ne dicam omnimodam privationem, hæc velut repagula hic collocavit. Quorum tamen alius adhuc usus, ut nimirum sub protuberante horum parte tuto latitarent ac quiescerent pedem moturi tendines, qui doloris causam præbent, quem contusis læsisve excitari deprehendimus malleolis, sunt enim sensus exquisiti. Ab hisce nodosis condylomatis quæ σφύρα Græcis, σφυράποδες φλέβες accepere nomen, quas in uteri affectibus secuerunt veteres, hodieque idem cum successu etiam fieri assolet, ea de re Hippocratem videre est 3. Epid. id Stymargæi ancilla. Gal. cap. 18. de Curand. ration. per sang. mission. ubi illud egregiè monet, quod cum mensibus provocandis secanda venit vena, duo observet medicus, malleoli venas uti tundat, & quidem tum quum ad illud opus se parat natura, hoc est, instante mensium profluvio, ut eam adjutricem habeamus. Venæ illæ Saphenæ vocari solent à σαφέω manifesto. conspicuæ namque sunt, utpote non nisi solâ cute tectæ. Etiam illud in hac articulatione dignum notatu, firmior ea uti sit haud aliter se rem habere, perpendicularum ac si lineam transversæ ita immittas ad angulos rectos sectio uti fiat. productus enim anterius pes, posterius vero calcis os. alias in tergum facile caderemus.

CAP. VI.

Corporis finem pedes examinans.

PEdes quod terminum corpori ponant illudque finiant, desumto â partu argumento probavit caput 6 part. 1. Eo respexisse videntur hisce partibus nomen qui imposuere. Nam pedis vox origine Græca est, ijs πῶς dicitur, à παύω quod finio finem impono. Si quis ita nascatur, pedes uti primum ostendat, eum Agrippam quasi ægrè seu difficulter partum dicebant veteres. Hinc loquendi modus ijs familiaris de re ab initio ad finem tendente, *à capite ad calcem*, inquam, dicere solent, non contra. XXVI ossibus singuli constant pedes, quæ trifariàm, in Tarsum, Pedium, ac Digitos quæ constituunt, dividi solent. Tarsi septem sunt, quatuor Pedij, Digitis reliqua, tot nimirum quot manibus.


Primum Tarsi, imo totius pedis os, *Talus* latinis Græcis ἀστράγαλος. Hos osse è bubulis extracto pedibus ludere assolent pueri, est namque admodum mobile ac volubile. sic ludentes pueri ἀστραγαλίζοντες dicuntur, ita Poetæ Cupidinem & Ganimedem, pueros in coelo, astragalis ludentes fingunt. Figura tamen ei ad quadratam proxuma, adeo ut inde τέ-

τ̃ϐρνῳ *Quaternionem* osteologi interdum vocitent. Os hoc universi corporis molem solum & per se sustinet, ut hac de causâ non frustra de ejus incolumitate sollicita adeo fuerit natura, dum ei velut obices ac repagula, malleolos apposuit utrimque. nam hi ossis hujus causâ facti Qui tamen hoc efficiunt, os hoc semel loco motum difficulter uti reponi queat. notum id veteribus, quibus, *Talum reponere*, erat in re versari difficili. Potissimum vero majoreque parte latitat in sinu inferiore ossis tibiæ, utpote qui hujus ossis causâ factus. Talis eï figura, ut parte superiore duplex quodammodo ostendat tuber, intermedio obscuro sinu distinctum, cui articulatur tibiæ pars anterior, neve pede ad latera se flectente facile luxetur, utrimque eï additus malleolus. Pars ejus inferior sima existit, ac calcis ossi universa inhæret, eique vinculis firmis nectitur. Parte anteriore in oblongam definit cervicem, quâ scaphoïdi vocato se jungit ossi.

Figura exprimens pedem cui tibia innititur, in qua prominens calx, tum & taleoli conspici possunt.

A *Os tibiæ.*
B *Fibula.*
C *Talleoli.*
D *Calx.*

Tarsi


A
B
C
C
D

Tarsi os secundum, reliquis cunctis pedis ossibus majus, Græcis πτέρνα, ἀπὸ τοῦ πατεῖν ἔρα, à conculcanda sive calcanda terrâ, *Calx* latinis *Calcaneum*, etiam *Calcer pedis*, nam calcaris instar prominet. Quod ipsum singulari à summo Deo causâ factum arbitror, ne nimirum in dorsum aut occiput facile cadet homo. Figuræ hujus respectu videri posset hoc os ad defensionem homini concessum. Veteres sanè eo respexisse videntur, qui expressuri rem ad quam summis viribus conatuque opus esset, *Pugnis & Calcibus* dicere solebant, & *Calcibus porterit*, pro eo quod manifesto & omni injuriarum genere afficit. Ita, *Tollere calcaneum* pro contumeliose in aliquam insurgere. Jungitur hoc os superne cum osse tali. Hoc enim loco protuberantem habet p artem capitis in modum rotundam, quam in sinuosam astragali partem immittit, sicque eï articulatur. Posteriore parte ab omnibus pedis ossibus liberè se exserit, ac in longum exporrigitur, imo longius quam ipsa tibiarum ossa prominet. Extima hac parte nonnullas ostendit asperitates quibus firmiter se affigit insignis tendo omnium qui in corpore reperiuntur maxumus, quem suræ producunt musculi. Hic is quo Hector per moenia Trojæ raptus. In hunc is cadere solet affectus, quem Pernionem latini, quasi Pternionem, quod πτέρναν sive calcèm potissimum infestet. Tumoris genus est,

ut plurimum in ulcus desinens, ortum à frigore externo calorem innatum temperiemque magni hujus tendinis vitiante. Is à frigore quoniam ut plurimum originem sumit, ob id χίμεθλον vocatur Græcis, affectum hiemalem ac si dicas. pueris familiare malum qui quum frigoris efficaciæ non ita attendant, hinc fit de hoc loco non satis uti sollicliti sint. sunt autem pedes maximè à caloris foco dissiti, Refert Xenophon. 4. Expeditionis Cyri. militibus per nives incedentibus pedes conputruisse, hoc est gangrænâ tactos. Hipp. 5 Epid. author est, ut perniones magna calfactione ac igne tractentur. Notatu dignum quod Olaus Magnus refert, Septentrionales populos, pernionibus valde obnoxios, pulvere pellis leporinæ sibi ipsis medelam afferre solere. Illud historiæ ossis calcis addo, insignem ei ratione hujus qui ei adnascitur tendinis intercedere cum universo corpore principibusque partibus sympatheian, notante id Hipp. 2. de fract. *Calcaneum societatem habet cum venis & nervis insignioribus, nam posterior tendo ei nectitur, ad ejus fracturam finiut febres peracutæ, continuæ, tremulæ, singultuosæ, paucorum dierum, mortiferæ denique.*

Idem 5. Epid. hist. 48. exemplum adfert adolescentis, qui quod maturato cursu per viam asperam calcem offendisset intra xx dies obijt.

Tartium tarsi os à figurâ σκαφοειδὲς, *Os navicula* & *Cymbam*

Cymbam referens Osteologis. Est namque in modum scaphæ excavatum, sicque ossis tali leviter protuberantem partem sinu suo excipiteique per enarthrosin copulatur: priore parte cum quinto, sexto, ac septimo tarsi ossibus, idque ita ut dubites num ab illis excipiatur, num vero excipiat.

Κυβοειδὴς, *Cubiforme* & *Tesseriforme* quarto se offert loco, pedis exteriore parte conspicuum, uti scaphoides interiore. Jungitur parte posteriore cum osse calcis, anterius cum duobus postremis tarsi ossibus innominatis, eâ de causâ hoc loco duos exiles sinus sibi insculptos ostendens. Hoc os unà cum reliquis tarsi ossibus, figuram obtinet exterius paululum protuberantem, intus modicè excavatam. hac ratione roboris plus confertur pedi ut corporis molem felicius sustentare queat. tum & ut in excavato illo loco tuto quiescerent tendines ac musculi hic, in pedis plantâ, concurrentes, quique levi de causâ pressi læderentur, plana si hæc facta.

Quæ super sunt tria officula ad tarsum requisita, anonyma existunt quorum, prius è regione pollicis locatum cernitur, & cum primo pedij osse articulatur. alteram huic latus claudens, secundo respondens ossi pedij. Ordine tertium loco medium inter sextum & quartum situm, habens ab

unâ parte nempe internâ, ſextum, ab externâ ſcaphoides.

Altera pedis pars ea continet oblonga oſſicula jam dictis ſeptem tarſi oſſibus quæ ſuccedunt. Hæc poſtbrachiali in manu reſpondent, vocaturque Græcis pars hac πέδιον, latinis *Planta* & *Veſtigium pedis*. Quinque ſtatuo hâc oſsicula, digitis pedis ſingula reſpondentia. Quorum (digitorum dico) eadem quæ in manibus quum ſit ratio (niſi quod breviora paulum) horum examini non immorabor.

FINIS.